




Υποτύπωσιν ἔιχε τῶν ὑγιαινόντων λόγων.
II. Tim. I. 13

S. Gribelin Sculp.

John Adams

ΠΕΡΙ ΑΡΧΩΝ

LIBRI SEPTEM.

ACCEDUNT

LITURGICA.

AUCTORE
GULIELMO NICOLS, A.M.
Ecclesiæ *Stockportensis* Rectore.

Ἡ καταβολὴ τῦ θεμελίυ. Vide Epist. ad Hebræos VI. 1.



LONDINI,

Typis & Impensis *J. DOWNING*, vico vulgò dicto Bartholomew-Close, prope West-Smithfield, 1717.

Reverendiſſimo in Chriſto Patri ac Domino,

D. GULIELMO,

Providentia divina, ARCHIEPISCOPO *CANTVARIENSI*, totius Angliæ Primati & Metropolitano, Regiæ Majeſtati à ſanctioribus Conſiliis, *Gulielmus Nicols*, Eccleſiæ Anglicanæ Presbyter, Salutem in CHRISTO JESU.

PAſtorum immortale decus, ſanctiſſime Præſul,
Exemplar vitæ nobile, forma gregi,
Antiquæ fidei vindex, & gloria ſecli,
Hoc in Te noſtri pignus amoris habes.
Sæpe dolens vidi teneræ prælecta juventæ
In noſtris paſſim carmina fæda ſcholis;
Corruptura bonos mores deliria vatum,
Crimina qui canerent multa patrare deos.
Huic ego lethifero cupiens occurrere morbo,
Et prodeſſe bonis, dum mihi vita manet;
Quæ credenda piè, facienda, petendáque nobis,
Condere tentavi carmine cuncta brevi:
Ut diſcant pueri ſanctiſſima dogmata Chriſti,
Et mores ſemper, qui placuere Deo.
Si Deus ille ſuo dignetur adeſſe favore,
(Quo ſine conatus noſter inanis erit)
Injecta hæc animis virtutum ſemina mittent
Radices, fructus eximióſque ferent.
Ut valeas, opto, viridique fruare ſenecta,
O decus, O ſtudiis præſidiúmque bonis:
Inter Britannos *tua laus, tua fama manebit,*
Dum maneat veræ relligionis amor.
Hæc ego conſcripſi tibi mox moriturus, & orans
Ut velles natis tu pater eſſe meis.

EUSE-

EUSEBIUS.

ΤΟ ΜΕΝ ΟΥΝ ΠΑΡ ΗΜΩΝ ΓΡΑΜΜΑ ΤΟΥΤΟΝ ΕΧΕΙ ΤΟΝ ΤΡΟΠΟΝ ΚΑΘΩΣ ΠΑΡΑΛΑΒΟΜΕΝ ΠΑΡΑ ΤΩΝ ΠΡΟ ΗΜΩΝ ΕΠΙΣΚΟΠΩΝ, ΚΑΙ ΕΝ ΤΗ ΚΑΤΗΧΗΣΕΙ, ΚΑΙ ΟΤΕ ΤΟ ΛΟΥΤΡΟΝ ΕΛΑΜΒΑΝΟΜΕΝ, ΚΑΙ ΚΑΘΩΣ ΑΠΟ ΤΩΝ ΘΕΙΩΝ ΓΡΑΦΩΝ ΜΕΜΑΘΗΚΑΜΕΝ.

S. Chryſoſtomus Homil. I. in Matt.

Ἐκεῖνο μετὰ τῶν εἰρημένων ἀξιοῦντες ὑμᾶς παρατηρεῖν, ὅτι ἐν τοῖς κεφαλαίοις καὶ συνέχουσιν ἡμῶν τὴν ζωὴν καὶ τὸ κήρυγμα συγκροτοῦσιν, οὐδαμοῦ τις αὐτῶν οὐδὲ μικρὸν διαφωνήσας εὑρίσκεται. Τίνα δὲ ταῦτά ἐστιν; οἷον ὅτι ὁ Θεὸς ἄνθρωπος ἐγένετο, ὅτι θαύματα ἐποίησεν, ὅτι ἐσταυρώθη, ὅτι ἐτάφη, ὅτι ἀνέστη, ὅτι ἀνῆλθεν, ὅτι μέλλει κρίνειν, ὅτι ἔδωκε σωτηριώδεις ἐντολὰς, ὅτι οὐκ ἐναντίον τῇ παλαιᾷ νόμον εἰσήκεν, ὅτι υἱὸς, ὅτι μονογενὴς, ὅτι γνήσιος, ὅτι τῆς αὐτῆς οὐσίας τῷ πατρὶ, καὶ ὅσα τοιαῦτα.

Τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ Θεοῦ. Heb. V. 12.

Σπουδαστέον ὅπως ὁρισθῶσι καλῶς αἱ ἀρχαί· μεγάλην γὰρ ἔχουσι ῥοπὴν πρὸς τὰ ἑπόμενα. Ariſtot.

Δεῖ ἄρα τὸν σοφὸν μὴ μόνον τὰ ἐκ τῶν ἀρχῶν εἰδέναι, ἀλλὰ καὶ περὶ τὰς ἀρχὰς ἀληθεύειν. Idem Ethic. ad Eud. Lib. V. cap. 7.

Quocirca vereor committere ut non bene proviſa, & diligenter explorata principia ponantur, Cic. de Legibus, Lib. III.

ΠΕΡΙ




ΠΕΡΙ ΑΡΧΩΝ,

Sive

De Principiis Religionis Chriſtianæ,

LIBER PRIMUS.

MAGISTER, DISCIPULUS.



M DIC mihi, chare puer, Patri dilecte ſupremo,
(Cum locus ille ſacer, lux illa dicata quieti,
Ad pia colloquia invitent) Quid ſit tibi nomen ?
Incœptis noſtris DEUS his aſpiret! *D.* Ab illo
Sit mihi principium : nempe eſt labor omnis inanis
Abſque Deo. Eſt nomen mihi, vir venerande, Philippus.
M Si te ſic pietas commendet, ut oris honeſtas,
Nil erit in toto te pulchrius orbe, Philippe.
Quis dedit id nomen tibi, Nate ? *D.* Dedere fideles
Id mihi Sponſores, (ſic me docuere Parentes,)
Tunc cum parva mihi luſtraret membra Sacerdos
Baptiſmo ſacro. *M.* Dic, hoc baptiſmate ſacro

Quid ſis lucratus? *D*. Baptiſmi munere membrum
Factus eram Chriſti, natus Patris omnipotentis,
In cœloque hæres regni quod duret in ævum.
M. Tene, Philippe, Deus tanto eſt dignatus honore
Ut velit eſſe parens tibi? *D*. Sic eſt; non modo ut ipſe
Totius humani generis Pater atque Creator,
Verum etiam ut Domini IESU Deus & Pater idem eſt.
Filius ille Dei natura eſt, noſque fideles
Filii adoptivi ſumus Omnipotentis in Illo,
Et Chriſti fratres, & cœli maxima cura.
M. O felix, qui cum naturà filius iræ,
Mancipium peccati eſſes, & Numinis hoſtis,
Jam factus liber, Domini jam factus amicus,
Filius atque hæres de ſacro fonte renatus.
D. Hæc benefacta Dei memori ſub pectore condo.
M. Et quid Sponſores pro te fecere benigni?
D. Nomine promiſere meo tria; Nempe futurum
Ut mihi quamprimum matura adoleſceret ætas,
Illum hoſtem humani generis procul eſſe juberem;
Facta ejus, pompas, ſpectacula inania mundi,
Affectuſque omnes tentarem ſubdere carnis:
Promiſere fidem quod verbis Chriſti adhiberem,
Doctrinamque ſimul quæ libris condita ſacris,
Traditaque eſt nobis, amplecterer atque foverem:
Denique quod mandata Dei ſervare ſtuderem,
Ut decet illum, qui Domino ſit fœdere junctus:
Et ſane dum viverem in hoc incedere vellem
Tramite, dante Deo, qui rectà ducit ad Aſtra.
M. An perſuaderis, quod tu promiſſa teneris
Hæc implere tuo quæ nomine facta fuere?
D. Maxime; & auxiliante Deo, implere omnia tentem:
Et grates cœleſti ago Patri, quod voluit me,
Credenteſque in eum, vitæ æternæque ſalutis
Par-

Participes omnes fieri per viſcera Chriſti;
Quem precor, ut donet mihi in hac perſiſtere pulchrâ
Militià æthereus dum Spiritus hos regit artus.

M. Ergo in Baptiſmo Domino es jam * fœdere junctus.
D. Sane. *M.* At quod fœdus cum Judæis fuit ictum,
Ceſſavitne? *D.* Novum Deus inducendo abolevit
Priſcum illud fœdus: ſicut promiſerat olim
Facturum ſeſe. *M.* Dic priſcum quale ſit illud,
Quale novum fœdus? *D.* Deus unus fecit utrumque
Temporibus variis, Chriſtuſque in utroque dabatur.
Fœdere ſub veteri fiebant cuncta figuris
Propoſitiſque typis; verum *res* exhibet ipſas,
Confirmatq, Novum: Pecudum illud ſanguine tantum
Sancitum, Deus hoc ſancivit ſanguine Nati.
Fœdus utrumque vide ſacrum, diceſque vetuſtum
Id cum Judæo ſolo pepigiſſe Tonantem;
At feciſſe Novum cum gentibus omnibus orbis.
M. Cætera nunc inter legem veteremque novamque,
Chare Philippe, mihi quæ ſint diſcrimina narra.
D. Lex vetus innumeris onerata eſt *ritibus* olim,
Promeruitque *jugum* grave dici; at Lex nova Chriſti
Spiritualem cultum, & pectora pura requirit.
Non circumcidi carnem, ſed *cor* Deus optat:
Nec tauri aut capri ſanguis nunc crimina tollit,
Sed ſanguis Chriſti, ſordent holocauſta Tonanti;
Neve eſt contrito jam gratior hoſtia corde.
Libertas ſumma eſt Chriſto ſervire, jubenti
Nil niſi quod proſit facientibus, & ſit honeſtum.
Et quod cuique bono ſeſe commendat, ut id quod
Solum à criminibus purgat *Conſcire* nefandis.

 Multa

* *De Fœdere veteri & novo.*

Multa ob duritiem populi permittere Moses
Visus erat, prohibet quæ lex sanctissima Christi.
Quæ venit ex Sina monte est *lex plena timore,*
Quæ venit ex Sion merito *Lex* audit *amoris* :
Illam marmoreis tabulis inscripsit IOVA,
Hanc ipsam humanis inscripsit *cordibus* idem.
Quin lex prisca viris promittit, quæ bona ducunt
Infirmæ mentes, *terrenaque* plurima spondet:
At nova promittit longe *meliora,* piasque
Quæ maneant animas in cœlis gaudia monstrat;
(Clariùs hæc saltem depingit gaudia nobis,)
Præque illis dat opes, fragilemq; hanc temnere *vitam*
Dat mala posse pati virtutis *amore,* jubetque
Mercedem in seclo tantum sperare *futuro.*
Denique prisca *necem* minitata est omnibus illis,
Qui non servarent totam sine crimine legem :
At venia afflictis animis concessa benigna est
Omnibus in Christum credentibus, almaque fulsit
Spes Evangelio *vitæ* æternæque salutis.
Ergo est dulce *Jugum,* levis est quoque sarcina JESU,
Ille est qui requiem donat mortalibus ægris.
M. Fœderis ede Novi quis sit Mediator ? *D.* IESUS,
Filius ille Dei sacrá de virgine *natus* ;
Hac ratione novum veteri præstare probamus,
Quod sit merus homo veteris Mediator ; at hujus
Quæ nova lex audit, Mediator amabilis ille est,
Qui sit verus homo, & qui verus sit *Deus* idem.
A Mediatoris persona oritur decus illud
Quo nova Lex veteri longè præcellere nota est:
Tantum visa nova est veteri præcellere, quantum
Aut dominus servo, aut *Mosi* præcellit IESUS:
Hic servus Domini fidus, sed Filius ille
Factus ob obsequium, & quæ pertulit unicus hæres
Cunctarum

Cunctarum rerum, per quem Deus omnia fecit
In cœlo & terris, de quo simul omnia pendent.
Namque necesse fuit nobis, ut qui Mediator
Inter mortales esset, Numenque supremum,
Participans esset naturæ utriusque; sed idem
Qui sine *peccato* natus sine criminis esset
Umbra, & tentatus misereri disceret horum
Quos varia in pravo vexant tentamina mundo.
Denique qui in nostra regnans super æthera carne
Ad dextram Patris semper foret, omnia sciret,
Audiretque preces cunctorum, & in omnia secla
Viveret, auditus semper, semperque precando
Obtinuisse valens, quodcunque à Patre rogaret.
Talis amans nostri est Mediator sanctus IESUS.
M. Quomodo promeruit JESUS Mediator ut esset?
D. Morte * deinde sua hoc meruit; nam non dubitavit
Ut genus humanum servaret, ponere vitam,
Atque super lignum nostros perferre dolores.
Humani generis *Sponsoris* munere functus
Pro nobis legem implevit, mortemque subivit.
Justus pro injustis, passus pro sontibus insons.
M. Cur circumcisus, cur flumine tinctus IESUS,
Longaque in horrendo jejunia duxit eremo,
Qui sine peccato natus, sine crimine vixit?
D. Ut qui peccata in se nostra receperat, idem
Hoc quoque pro nobis impleret nomine legem.
M. Unde necesse mori fuit illi? *D.* Nempe ut Adami
Peccato offensum, offensum illiusque nepotum
Peccatis animum posset placare Paternum:
Illud *Chirographum* quo pœnæ obnoxius omnis
Æternæ mortalis erat, moriendo Redemptor

* *JESUS Mediator Novi Fœderis.*

Reſcidit, affixitque cruci, pacemque reduxit.
M. Quid fuſus vituli ſanguis ſignabat Hebræis?
D. Signabat Patribus ſanctis, quod ſacra futurus
Victima * pro mundi peccatis eſſet IESUS.
M. Ergo erat ille Patri pro nobis victima? *D.* Sic eſt;
Idem perfuſo proprioque cruore Sacerdos,
Paſcha piorum, *Agnus* qui tollit crimina mundi.
M. Dic, quid pro nobis *animo* ſit paſſus IESUS?
D. Horrorem extremum, viſus ſudare cruorem
Cum foret, iratum perſentiretque Parentem:
A Genitore ſuo ſe credidit eſſe relictum,
Cum ſic funeſta clamaret ab arbore pendens,
Cur, Deus omnipotens, cur me, Pater alme, relinquis?
Tantum pro nobis Patri chariſſimus ille
Mente animoque ſuo eſt paſſus, dum vixit, IESUS,
Quantum nempe pati poſſet mens criminis expers.
O amor immenſus JESU, qui jam moriturus
Diceret, † *Alme parens, veniam da, Te precor, illis*
Ignorantibus & quid agunt, & quæ tua mens eſt,
Me tradendo mori, & fures numerarier inter:
Annuit omnipotens, exaudivitque precantem.
M Num loca poſt mortem deſcendens vidit IESUS,
In quibus horrendas & dæmones atque rebelles
Dant animæ pœnas? an & unquam ſanctus IESUS
Quæ ſubeunt damnatæ animæ tormenta ſubivit?
D. Abſit, ut hoc credam, cum ſacra volumina tradant
Jam moriturum illum, voce exclamâſſe, *Peractum eſt*;
Atque animam puram manibus mandaſſe Parentis.
Nempe die qua paſſus erat Paradiſia regna
Non dedignatum comitante intraſſe latrone;

Inde

* *Idem factus pro nobis victima.* † *Orat. pro his qui ipſum morti addixerunt.*

Inde dies tres ſcripta eadem teſtantur IESU
Sacrum in marmoreo corpus jacuiſſe ſepulchro.
Ut Deus ille fuit nequiit deſcendere JESUS
(Nam quis in infernum Numen deſcendere dicet,
Qui credit Natum loca cuncta replere Tonantis?)
Ergo non anima, non corpore, nec Deitate
Deſcendens unquam loca triſtia vidit IESUS,
In quibus æternas dat pœnas turba malorum.
M. At quod Salvator noſter deſcendit in *Haden*
Catholica in terris Eccleſia ſancta fatetur.
D. Sane; ſed quis ſit locus *Hades* ille videndum.
Voce illa veteres ſignabant ſæpe ſepulchrum,
Aut mortem, quæ ſit cunctis communis, & unà
Divitibus ſubeunda ſit æquè, pauperibuſque:
Sæpe datas animis exutis corpore ſedes,
(Quas quia viſibiles non ſint mortalibus ægris,
Dixerunt *Haden*, ſive eſſent mentibus illæ
Juſtorum ſedes conceſſæ, ſive nocentum,)
Sic demum noſter * JESUS deſcendit in *Haden*,
Mortuus ut verè, verè fuit ille ſepultus;
Dumque in marmoreo recubarent membra ſepulchro,
Conceſſas animis exutis copore ſedes
A Domino (ſed juſtorum, ſed fraude carentûm)
Pars audiit melior, Patriſque quievit in ulnis.
M. Significatne aliud vox *Hades*? *D.* Denotat illa
Corporis atque animæ ſummos quandoque dolores.
Sic quoque viſus erat JESUS deſcendere in *Haden*,
Quando ille ad mortem contriſtaretur, & unus
Noſtros cunctorum perferret ſponte dolores.
Verum non aliter propriè ſtrictéque loquendo
Salvator mundi JESUS migravit in *Haden*,

Quam

* *Quomodo JESUS deſcendit ad Inferos?*

Quam quod ubi corpus mortem ſubiiſſet acerbam,
Ejus ſancta anima in ſedes tranſlata ſit illas,
Quas Pater omnipotens tribuit poſt funera juſtis
Dum natus judex totius venerit orbis.
M. Quando triumphavit JESUS de morte, Philippe,
Ipſam captivam ducens? *D.* Cùm nempe ſepulchro
Exiret victor, cœlumque aſcenderet altum:
Tunc ille æternum duxit de morte *triumphum*,
De mortiſque auctore malo, ſerpente? *M.* Sed ede,
Cur fuit unius mors tam meritoria JESU?
D. Quod natus fuit ipſe Dei, quod criminis expers,
Et quod ſponte ſua pro nobis ſe obtulit ipſum.
M. Ergo novum Fœdus veteri præſtare videtur.
D. Præſtat, quantum umbris fugitivis corpora præſtant:
Moſaicæ JESUS eſt conſummatio Legis.
Et veluti puero qui tradit prima elementa,
Ille viam ingenuas ſapienter munit ad artes:
Sic Lex Judæis dum monſtraret pietatis
Prima rudimenta ad Chriſtum perducere viſa eſt.
Nam cum nemo Dei legem ſic ſervet, ut ipſe
Nequaquam offendat (quod Lex ea ſancta requirit)
Lex peccatores nos omnes indicat eſſe:
Nec coram mundi totius Judice ſtare
Poſſe quidem quemquam mortalem: quin docet ipſa
Currendum nobis (queis cura ſit ulla ſalutis)
Ad Chriſtum, illiuſque Crucem: cujus fuit olim
Serpens dans vitam ſpectantibus apta figura.
Chriſti pulchra fuit veteri ſub lege figura
Perfuſus pecudum ſanguis, qui crimine mentes
Humanas purgare nequit: ſed ſignificabat
Purgandas olim pretioſo ſanguine Chriſti.
M. An promiſſa fuit Judæis vita perennis?
D. Certè; ſed variis, ut dixi, expreſſa figuris,

Unica

Unica dum mundi, qui ſpes fuit, ille veniret,
Atque palam faceret, quæ vita futura beatis,
Quæ maneant animas poſt mortem gaudia ſanctas.
M. Ante datam Legem Patribus promiſſane vita eſt?
D Promiſſum Semen fuit his, qui immane Draconi
Contereret caput, & ſimul omnia perderet acta:
Promiſſa eſt requies antiquis Patribus illis,
Quam quia in hac vita non obtinuere caduca,
Promiſſiſque Deus nequeat non ſtare; profectò
Qui placuiſſe Deo dicuntur amore fideque;
Sunt habiti juſti, quibus & peccata remiſſa,
Credimus hos omnes requiem ſuper aſtra manere:
Nempe fide in Chriſtum venturum, ſpe quoque pleni
Vixerunt Patres, lucemque obiere ſupremum;
Semet in hoc faſſi peregrinos orbe fuiſſe,
Et ſibi manſuras in cœlis quærere ſedes.
M. Fœderis illius veteris virtutene poſſit
Jam quis ſalvari? *D.* Minimè. *M.* Ergo credere in unum
JESUM * opus eſt. *D.* Certe illi qui ſalvus velit eſſe;
Hunc Deus omnipotens nobis dedit eſſe Prophetam,
Æternumque Sacerdotem, Regemque benignum.
Hic eſt *Meſſias* promiſſus Patribus olim,
Optatuſque diu; nec toto nomen in orbe
Eſt aliud, quo ſalvemur, niſi nomen IESU.
Qui via, qui verum, qui ſolus denique vita eſt;
Dans quibus ipſe volet vitâ gaudere perenni.
M. At tu, blande puer, dic quæ teſtentur IESUM
Eſſe hunc *Meſſiam?* *D.* Teſtantur † plurima; nempe
Scripta Prophetarum veterum, miracula multa,
Et doctrina Deo digna, & ſanctiſſima vita.

Angeli

* *Non eſſe ſalutem niſi per IESUM Chriſtum.* † *Quæ teſtantur IESUM eſſe Meſſiam.*

Angeli item ſancti planè teſtantur IESUM
Auctorem æternæ credentibus eſſe ſalutis;
Nam cum prodiret JESUS in luminis oras,
Cantabant læti, *Salvator naſcitur orbis,*
Gloria in excelſis Domino, Pax aurea terris,
Ergà homines ſummi panduntur viſcera Patris.
Zacharias, Simeon, Anna, & veneranda *Maria*
Mater JESU, omnes divino numine pleni
Inſignes pietate omnes, teſtantur IESUM
Semen id eſſe bonis promiſſum Patribus olim
Promiſſum Lumen totius gentibus orbis.
Teſtanturque Magi, portantes munera Chriſto,
Tunc quando Ille ſuæ penderet ab ubere Matris,
Numen adorantes nati de virgine Regis:
Ad quem ſe ductu ſtellæ veniſſe fatentur.
Teſtatur ſanctus Baptiſtes, Angelus ille
(Sic viſus multis) indutus corpore, & idem
Præcurſor Domini clariſſimus. Hic venientem
Ad baptiſma ſuum cum forte videret IESUM,
Ecce Dei Agnus, ait, *qui tollit crimina mundi.*
Denique teſtatur ſuper omnia ſacra Parentis
Vox emiſſa polo placidas Jordanis ad undas,
Dicentis: *Meus eſt dilectus Filius ille,*
Ille decus cœli eſt, ille eſt mea ſumma voluptas:
Audite illum omnes; quæ ſit via recta docebit;
Spiritu in hunc ipſum ſub imagine nempe columbæ
Deſcendente palam, Summumque ungente Prophetam.
M. Anne Propheta fuit JESUS? *D.* Fuit ille Propheta
Maximus, & ſeclis prædixit multa futura:
Quos caſus, quam pro nobis mortemque ſubiret,
Ante diem ſociis mirantibus ore retexit.
Prædixit (verum probat eventuſque Prophetam)
Excidium Solymarum, & gentis fata rebellis.

Com-

Computet ah durus Judæus tempora mundi;
Computet Hebdomadas Danielis vaticinantis
Inter captivos sævæ Babylonis in oris;
Et vel *Messiam* venisse agnoscat oportet,
Vel non venturum dum sol & luna manebunt.
M. Nonne est prædictum, quod Templo stante secundo
Esset venturus *Messias?* *D.* Maximè; & illud
Jamdudum venisse probat; quia nempe secundum
Templum (cui præsens Deus ipse in carne futurus,
Cui foret hoc uno cessurum nomine primum,)
Romanis dudum placuit victoribus orbis
Exæquare solo, & captivam ducere gentem,
Ut lux ille hominum JESUS prædixerat ante.
Imo cum Templum sævo impulsore tyranno
Forte novum Solymis Judæi condere vellent,
Ex fundamentis sunt visæ erumpere flammæ,
Atque necare viros ausos insistere cœptis.
M. At Judæus adhuc expectat cœcus & amens
Illum *Messiam*, qui totum subjuget orbem,
Et sedem imperii Solymis per secula figat.
D. Frustra id Judæus carnaliter omnia cernens
Expectat; quoniam hunc nobis oracula sacra
Messiam spondent, qui rex sit, virque dolorum;
Rex, sed cui regnum minime foret illius orbis:
Qui pro peccatis mundi (sic omnipotenti
Visum est Patri) animam puram illam poneret ultrò:
En posuit noster JESUS, pœnasque tremendas
Pro scelere in toto gens nunc luit impia mundo;
Nobileque existit monumentum Numinis iræ.
Nam patria extorris, sine certis sedibus ullis,
Improba, turpi dedita lucro, odio omnibus errat,
Absque Sacerdote, aut Templo, aut republica, ab annis
Mille & sexcentis: adeo ut satis illa suorum

Exaudiſſe Deum jam conſtet verba parentum,
Quando exclamarent ſævi, facerentque tumultum,
In nos ſit ſanguis ejus, noſtroſque nepotes,
Præferrent vitæ auctori turpemque homicidam.
Illa duo tantum mihi det Judæus Apella,
Nempe, *Tot olim & talia prædixiſſe Prophetas,*
Res geſtas JESU ſcriptaſque fideliter eſſe;
(Quæ duo non audet, quamvis velit, ipſe negare)
Et facile evincam JESUM de virgine natum
Meſſiam eſſe illum, quem prædixere Prophetæ
Venturum; & ſane prius (ut Patriarcha canebat)
Quam decus imperii Juda decederet omne:
Quis ſceptrum Juda jam deceſſiſſe negabit,
Poſtquam Judæa eſt Romæ ſervire coacta?
M. Hoc Argumentum Judæus nemo refellat;
Quo veniſſe patet *Meſſiam* ſcilicet Illum,
Qui promiſſa ſalus, lux, vitaque gentibus eſſet,
Iſraelitici populi quoque gloria. Sed dic
(Non etenim leve pondus habet res illa, Philippe,)
Ullane Judæis Tribuum diſtinctio reſtat?
D. Nulla; ergo ex illis (ut me docuere Magiſtri)
Nemo tribu Judæ, ſe nunc probet eſſe oriundum;
Nemo eſt, qui ſemen ſe nunc probet eſſe Davidis:
(Quod quiſque ingenuus fateatur oportet Hebræus;
Nam Genealogicas gens hæc ſervare tabellas
Deſiit, ex quo ſit merito diſperſa per orbem,)
At Patriarcharum ſobolem, regnique Davidis
Hæredem JESUM Socii, teſteſque fideles
Ex ſacris liquido monumentis eſſe probàrunt.
Quis non ergo videt, Judæos mente carere,
Qui ſperant alium venturum (ſi modo ſperant)
Meſſiam, qui ſit Rex magnus in orbe futurus?
Scilicet ut ſemper, ſic nunc gens illa rebellis

A vatum facris avertit vocibus aures.
M. Cætera quæ JESUM venerandum gentibus orbis
Effe Dei natum monftrant, jam perge referre.
D. Prodigia in cœlo & terris quæ vifa fuerunt
Tempore, quo Solymis infons pateretur IESUS,
Effe Dei Natum monftrant; namque æthereus fol
Cum vixdum medium cœli tranfcenderet alti
Aurea pollutis fubtraxit lumina terris,
Ceu lugens, nolenfque tueri crimina mundi;
Contremuit tellus, fancti velamina Templi
Sciffa, & multa fuis funt vifa exire fepulohris
Corpora Sanctorum, Solymas urbemque fubire.
Præcipue id monftrant ejus de morte triumphus,
In cœlum reditus, mundi imperiúmque receptum.
Denique ope ejus totius converfio mundi
A cultu idolorum ad Numinis agnitionem
Ejus, qui Pater eft hominum, rerumque Creator;
Non armis effecta virum, fed fanguine fufo
Martyrum, amicorúmque Dei, queis *Chrifticolarum*
Nomen crimen erat: (Patiendo Ecclefia crevit)
Ut poffit meritò miraculum & ipfe videri,
Edita qui poft tot miracula plura requirat,
Et mundo toto credente incredulus extet.
M. Nonne fub adventu * Chrifti filuere per orbem
Ambigua, & fraudem facientia gentibus illa
Dæmonis, ut credi fas eft, oracula vafri?
D. Maximè; & hoc ipfum vel turba inimica fatetur.
Augufto, ut fama eft, retulit confultus Apollo,
Me puer Hebræus divos Deus ipfe gubernans
Cedere fede jubet, triftemque redire fub orcum;
Aris ergo dehinc tacitus difcedito noftris.

* *Oracula adventu Chrifti ubique filent.*

M. Scripta * Sibyllarum liceátne citare fideli,
Ut JESUM probet esse Dei Natum, & simul illum
Messiam sanctis promissum Patribus olim?
D. Stare fidem nostram non illis credo libellis:
Sed nec anus credo Paganas vaticinatas
Esse adeo clarè de Christo, ut lucidiora
Non ipsi veteres dederint oracula vates:
Fama refert, ea plena superstitione fuisse
Carmina, quæ quondam foliis mandare Sibyllæ
Ambiguis verbis regnorum fata canentes.
Quædam inter gentes agnosco obscura fuisse
De magno quodam venturo oracula rege,
Cui Deus imperium totius traderet orbis:
At quæ Cumææ, sub Erythrææque Sibyllæ
Nominibus conficta extant oracula, certè
Ex libris sacris pene omnia sumpta videntur
Olim à Judæis, & carmine reddita sacro;
Quæ cum scripta forent ante est quam natus IESUS,
Esse Sibyllarum sunt credita carmina cunctis
Gentibus, & Romæ, ut fama est, in honore fuerunt.
Hæc Græci laudare patres, laudare Latini;
Nempe quod hæc colerent, ceu vera oracula & ipsi,
Et quas ad Christum vellent perducere gentes.
(Fraus à Judæis pia facta videtur utrisque
Postea quam Romæ arsisset Capitolium, & illis
Scripta Sibyllarum periissent omnia flammis.)
Nec dubito, quin his lectis pars magna per orbem
Gentium (eis vanis diis quos coluere relictis)
Conversi ad Christum fuerint; sic credere fas est.
Deinde Sibyllinis sunt addita multa libellis
A Græco quodam, quem nemo fuisse prophetam
Credat

* *De Oraculis Sibyllinis.*

Credat, ſed vixiſſe diu poſt tempora Chriſti.
M. Quos habuit teſtes rerum quas geſſit IESUS?
D. Judæam gentem; nam clam nil fecit IESUS.
* Auditum ſurdis, tribuentem lumina cœcis,
Atque pedes claudis, claram mutiſque loquelam
Viderunt multi, & ſimul obſtupuere videntes
Ipſas vertentem lymphas in dulcia vina,
Panibus haud multis paſcentem millia quinque,
Ex miſerorum corporibus voce ejicientem
Dæmonas impuros, caſtigantemque rebelles.
Quin illum varios morbos videre fugantem
Contactu; multis dantem poſt fata redire
In lucem, mœſtiſque ſuis exire ſepulchris,
Et ſupereſſe ſibi: quid plura referre neceſſe eſt?
Carpentem videre viam ſuper æquora plantis,
Vento imponentem, ſævoque ſilentia ponto,
Imperioque ſimul cœlum terramque regentem.
Hæc hoſtes JESUM noſtrum feciſſe fatentur,
At ſibi præ reliquis bis ſex aſcivit IESUS
Electos ſocios, qui teſtarentur in orbe
Ipſum etiam ex clauſo conſurrexiſſe ſepulchro,
(Poſtquam pro nobis mortem ſubiiſſet acerbam,)
Ante oculoſque ſuos cœlum aſcendiſſe ſupremum,
Qui tormenta pati mallent, & ponere vitam,
Quam quæ viderunt, hæc ſe vidiſſe negare.
M. At dic quæ evincant, hos teſtes non voluiſſe
Mundo imponere? *D.* Planè nil interfuit horum
Rumores falſos ſpargendo imponere mundo.
Si falſi teſtes voluiſſent, & ſcelerati
Eſſe impoſtores, dementia quanta fuiſſet
Diligiſſe ſupra vitam mendacia, & illa

* *Miracula Chriſti.*

Ante suam ipsorum æternam posuisse salutem!
Imponendi orbi nunquam tam dira libido,
Nunquam tantus amor pereundi invadere mentes
Simplicium potuere virûm, quos & sapientes,
Atque fuisse Deo charos doctrina libellis
Consona divinis, & mens præsaga futuri,
Et sancti mores, & facta stupenda probârunt;
Quæ patrâsse illos, ne gens inimica negabit.
M. An Majora Dei natus miracula fecit,
Quam veteres fecere prophetæ? *D.* Fecit; IESUS
Non tantum impuros ejecit dæmonas ipse,
Sed jus atque potestatem simul ejiciendi
Discipulis vel voce quidem dedit ille: quod ipsum
Nemo prophetarum veterum fecisse probatur.
Hi licet ad vitam dederint rediisse quibusdam,
Et virtute Dei miracula multa patrârint,
Dæmonas haud unquam tamen ejicisse notantur:
Nempe reservatum fuit hoc ad tempora Christi,
In quibus Inferni rueret damnabile regnum,
Corrueretque Deo quævis inimica potestas.

M. Altiùs hæc paulo nobis repetenda videntur.
Dic ergo unde Deus nobis * cognoscitur esse?
D. Cordibus humanis inscripta æquique bonique,
Notitia esse Deum monstrat; Naturaque rerum id,
Id probat omne animans, id clamat quælibet herba.
Nam causas rerum assignando venire necesse est
Ad primam causam (infinitas ponere causas
Non sani est hominis,) quæ causa aliud nequit esse,
Quam Deus omnipotens, idem qui condidit orbem.
Cumque nihil possit motum simul esse, movensque
Tem-

* *Deus unde cognoscitur.*

Tempore (ut ipsa quidem ratio docet) uno & eodem,
Et nihil a sese moveatur; oportet ut extet
Quis primus Motor, rebus dans esse, moveri,
Viveréque, existens immobilis ipse per ævum.
Qui primus Motor Deus est. Quin id *Ratione*
Uti, (quod proprium est homini,) *Conscire sibique*
A factore uno rerum venit omnipotente.
Hinc nulla in toto gens est tam barbara mundo,
Quæ non esse Deum credat ratione magistra.
Quamvis verum nescivêre Deum, tamen omnes
Esse aliquem fassæ gentes uno ore fuerunt.
M. Ergo aliqua his animis nostris innata videtur
Notitia esse Dei, qui condidit omnia. *D.* Certè;
Et simul est illud, quod plus quam vultus ad astra
Erectus; plus quam ratio, me judice, nosmet
Separat à grege mutorum, quæ dedita ventri,
Projecta ad pastum vivunt sine legibus ullis,
Et plane sensûs expertia Numinis extant.
M. Notitia hæc rerum qua imbuti nascimur omnes,
Aut usu saltem rectæ rationis habemus,
Nonne ea * *Naturæ lex* dicitur? *D.* Est ea nempe
Quam nos *Naturæ legem*, lumenque vocamus.
Contra illud lumen peccans violator habetur
Legis naturæ, & pœnas dare jure tenetur.
Discimus esse Deum res contemplando creatas,
Discimus esse simul sapientem atque omnipotentem,
Perfectéque bonum, qui res has condidit omnes;
Et velle, ut justi sint omnes, atque benigni.
Ex illo humanæ sunt natæ lumine leges,
(Quod Domini in nobis agnoscitur esse lucerna;)
Et quæ dicta fuit Sapientia gentibus olim,

* *De Lege Naturæ.*

Ex ipſo ſolo naturæ lumine fluxit.
Utque una eſt natura, ita lumen id omnibus unum eſt;
Quo duce gens omnis, quantumvis barbara, novit
Injuſto juſtum, verum ſecernere falſo.
M. Non ergo arbitriis hominum, Jus omne, Philippe,
Verum natura rerum conſtare videtur.
D. Omnino; ſiquidem * naturam æquique bonique
Immutare homines nequeunt, nec id efficere unquam,
Ut ſit adulterium virtus; vitiumque alieno
Abſtinuiſſe toro; néve ut pius eſſe ſit ingens
Crimen, & egregium facinus contemnere Numen:
Immutabilis eſt natura æquique bonique;
Ut Deus immutabilis eſt, qui fons ſit utrique.
M. Cognitio unde Dei clara eſt & aperta petenda?
D. † Ex libris ſacris, quorum Deus ipſe ſit auctor.
M. Qui ſunt libri illi ſacri, dic, te precor. *D.* Illi
Sunt libri Moſis, Pſalmi, vetereſque Prophetæ,
Quos olim in Canonem ſacrum Judæa recepit.
Addo Evangelia, & quos conſcripſere fideles
Diſcipuli JESU, recipitque Eccleſia ſancta
(Sponſa quidem Chriſti) quæ in toto militat orbe.
Scriptores ſacros non eſt memorare neceſſe,
Cum ſint illi, quos Eccleſia ſuſcipit omnis,
Et quorum in populo celebrantur nomina ſancto.
M. Dic mihi, qui ſacros hos conſcripſere libellos
Unde fuiſſe probas vates, & numine plenos?
D. Teſtibus omnigenis, ſociis atque hoſtibus ipſis.
Nota fuiſſe patet permultis gentibus orbis,
Græcis, Romanis, Indis, quæ vaticinando
Tradidit arcano miranda volumine Moſes.
Eventura alii cecinerunt multa per orbem

Scrip-

* *Natura æqui & boni immutabilis.* † *De S.S. Scriptura.*

Scriptores ſacri, quæ cum omnia tempore conſtet
Eveniſſe ſuo, dubitandi nulla relicta
Eſt ratio, an vates fuerint, & numine pleni.
Quis niſi Numen enim det certò ſcire futura,
Quorum in natura nequeunt exiſtere cauſæ?
Quis niſi divino repletus numine vates
Antè annos potuit ducentos, quam editus eſſet
Cyrus, venturum Perſis prædicere regem
Magnanimum illum, (etiam deſignans nomine Cyri)
Qui libertatem Iſacidis concederet, idem
Mandaret Solymis ſanctumque reſurgere Templum?
Quin libri ſacri proprio ſe lumine produnt,
Auctoremque Deum, per ſe, ſine teſte fatentur,
Mentibus inſpirat noſtris dum ſpiritus almus.
M. Unde probas libros genuinos hoſce, Philippe,
Eſſe prophetarum, quorum præferre videmus
Nomina? *D.* Et hoc * hoſtes teſtantur. Qui genuinos
Hos negat eſſe libros, neget idem, ſi volet ipſe
Hiſtoriámque omnem, & rerum monumenta per orbem.
Verum quâ ratione mihi quiſquam probet ullum
Eſſe aliud ſcriptum genuinum, ego prorſus eâdem
Hos libros ſacros genuinos eſſe probabo.
Nemo quidem dubitet quin carmina ſcripſerit illa
Mæonides, quæ nunc extant ſub nomine vatum
Principis illius, totoque leguntur in orbe:
Sufficit ævi omnis conſenſus; & id dubitantem
Mente carere putent omnes: An ſanior illi
Mens eſt, qui dubitet, num Moſes ſcripſerit illa
Quæ nunc ipſius ſub nomine in orbe leguntur,
Et ſupra annorum ter mille in honore fuerunt?
(Ex illis veteres hauſerunt plurima Graii:)

At

* *De ſacrorum librorum* αὐθεντεία.

At non tam constat (licet id sat constet) Homerum
Carmina conscripsisse hæc, in quibus ira ferocis
Propter adulterium Paridis memoratur Achillis,
Quam constat Mosen scripsisse volumina sacra,
Quæ seclis pandunt vasti primordia mundi,
Juraque conservant digito conscripta Tonantis:
Non Cæsar, non ipse Plato, non Livius ingens
Nêve alius quisquam tam certò noscitur illos
Conscripsisse libros quorum jure auctor habetur,
Quam libros noscuntur eos scripsisse Prophetæ
Quos sub eorum nominibus superesse videmus:
Fœderis utriusque sacris scriptoribus alma
Semper adest, aderitque * Ecclesia testis in ævum.
M. Cur illis credas, num sancta Ecclesia causa est?
D. Cur illis credam, sunt ipsi causa libelli:
Quæ me ducat ad hos libros Ecclesia sancta est,
Quorum ipsa est custos fida atque acerrima vindex.
M. † Cur voluit sua verba sacris Deus omnia libris
Committi? *D.* Quod in his sciret mansura per ævum:
Testatoris enim meliùs retinere probantur
Scripta voluntatem, quam quæ sunt tradita voce
Sola, quæ multis errandi præbuit ansam.
M. Dic quo fine Deus dedit illa volumina nobis?
D. || Ut nobis essent vivendi Regula sancta.
Incorruptique ejus in omnia secula testes.
M. An scriptis solis standum? nemóne tenetur
Credere, quod non sit scriptum? *D.* Sic sentio plane.
Sic quoque, ut accepi, sensit veneranda vetustas.
M. Non dedit ergo libris Ecclesia, ut omnibus essent
Regula vivendi perfecta, sed id decus ingens

His

* *Ecclesia S. Scripturæ testis & custos.* † *S. Scriptura cur data sit?* || *Est sola Regula fidei.*

His dedit omnipotens Deus * ipse. *D.* Ecclesia vera
Esse nequit, quæ non libris assentiat illis:
Néve potestatem accipere à mortalibus ullis
Credo libros sacros, sed ab ipso Numine solo
Accepisse reor, cum sit Deus auctor eorum.
Qui legis sacræ exemplar conservat, an ille
Jus legi det, ut ipsa mihi sit Regula vitæ;
Aut is qui legem tulit, & simul omnibus inde
Jussit, ut illa foret venturis Regula vitæ?
M. Atque fides libris his sacris † major habenda est
Quam mortalibus ullis sit. *D.* Sic sentio planè;
Cùm falli possint homines, & nesciat unus
Omnipotens falli, qui libros condidit illos.
M. Ergo nec supra scripturam Ecclesia sancta est:
D. Hanc veri famulam credo, non credo magistram.
M. At Paulo in scriptis Ecclesia sancta vocatur
Viventis templumque Dei, verique || *columna,*
Et fundamentum. *D.* Non Divi mens ea Pauli est,
Supra Edicta Dei sanctorum ponere cœtus;
Sed decus eximium monstrare Ecclesiæ id esse
Quod sit ea in qua sincerè colitur Deus unus,
Et quæ doctrinam sanam retinetque fovetque,
Subque Dei auspiciis in toto sustinet orbe.
Scilicet ut regum sustentant jura columnæ
Marmoreæ, sic tanquam permansura columna
Sustinet alma parens Ecclesia jura Tonantis.
Tunc etenim veri est Ecclesia quæque columna,
Cum custos veri sit in orbe, & fida ministra.
Semper Catholicæ hæc laus est, nunquam meretricis,
Quæ colit idola, & tutatur dogmata falsa,
Impia,

---

* *S. Scripturam à Deo solo auctoritatem habere.* † *Majorem esse auctoritatem S. Scripturæ quam Ecclesiæ.* || Ecclesia *quomodo Columna & fundamentum veritatis.*

Impia, & omnino ſcriptis contraria ſacris.
M. De ſcriptis ſacris an nobis demere quicquam,
Addere eiſve licet? *D.* Scelus eſt aut demere certè
De ſcriptis ſacris, aut illis addere quicquam;
Aut quovis monumenta modo corrumpere ſacra.
M. Cur ergo ex tabulis jamdudum Roma * *Secundum*
Mandatum expunxit? *D.* Cauſa eſt, quod nempe *Secun-*
Mandatum expreſsè damnet ſimulacra colentes. (*dum*
Promptiùs eſt Romæ ſacros corrumpere libros,
Quam lectis libris pravos deponere mores.
M. Cur vetat hæc populum monumenta evolvere Roma?
D. Quod populum ſapuiſſe nimis ſit inutile Romæ.
Obſequii, ait meretrix, *eſt ignorantia mater.*
Hinc in vulgares divina oracula linguas
Verti nolit, amat ſic verſaque tradere flammis.
Nempe ſacram lucem, maculas quia detegit, odit;
Et toto extinctam gauderet in orbe videre.
Novimus in quo ſint pretio illa oracula Romæ,
Hæreſiôn ubi fons, & litera † muta vocantur,
Mortua, & (O voces horrendæ!) Lesbia norma.
M. Nonne, Philippe, ſatis foret illud cuique fideli,
Credere, nimirum ut Romana Eccleſia credit;
Atque ultra hoc unum planè nil quærere? *D.* Non eſt;
Vera fides verbo Domini nitatur oportet;
Unum quemque ſuo voluit Deus optimus uti
Judicio in rebus fidei; neque lumine mentis
Extingui cuiquam, ut manibus miſer ipſe alienis
Ducatur: propriis utamur ſenſibus omnes;
Maximè in his rebus, quæ jam (vel judice Roma,)
Noſcuntur noſtram æternam ſpectare ſalutem.
Credere ut alma parens Eccleſia credidit *omni*
Tem-

* *Roma ſacrilega.* † *Et in S. Scripturam blaſphema.*

Tempore Catholica, est tutum: sed credere certè
Ut credit Romana, via est quæ ducit ad orcum:
M. Quæ divina audit Scriptura, Deique probatur
Consilio tradi, num continet omnia planè
Quæ sunt omni homini facienda, ut vivat in ævum?
D. Continet omnino, * perfectáque Regula vitæ est.
Illa viam ad cœlum monstrat, vitamque perennem;
Illa hominum refovet sanctorum spemque fidemque,
Magnaque in adversis præbet solamina rebus.
M. In scriptis sacris suntne omnia clara & † aperta?
D. Quæ credenda piis, faciendáque sunt ut in ævum
Vivant, in scriptis sacris sunt omnia aperta.
M. Cùm sint in sacris loca multa obscura libellis,
Unde locis illis lux, blande Philippe, petenda est?
D. Scilicet ex aliis quæ sunt planissima, (ut extant
Omnia quæ fidei & morum fundamina dicas,)
Nempe || sui ipsius Scriptura est optima semper
Interpres: norunt, qui sacra volumina volvunt,
Corde humili, & studiis jungunt pia vota precesque,
Dant quoque Scripturis lucem veneranda vetustas,
Hebrææque simul, Græcæque peritia linguæ;
Historiæ in primis, veterumque scientia morum.
M. Dic mihi cur præfert vulgatam Roma ¶ Latinam
Fontibus Hebræis? *D.* Quia quos feliciter orbi
Errores monstrant fontes, vulgata tuetur.
M. Et cur Roma suas sic jactat § Traditiones?
D. Quod nequeant aliter defendi crimina Romæ.
M. Dic quas *Non-scriptas* amplexa Ecclesia sancta est
Traditiones? namque aliquas amplexa videtur.

D. Quæ

---

* *De S. Scripturæ perfectione.* † *Et perspicuitate.* || *Sancta Scriptura optima sui ipsius interpres.* ¶ *De Versione vulgata Latina.* § *De Traditionibus.*

D. Quæ cum Scripturis concordant, quæ meruerunt
In *toto orbe* fidem, *ſemperque*, & *ab omnibus*, illas
Amplexa eſt, reliquas procul ipſa faceſſere juſſit.
M. Ergo libris ſacris omnis doctrina probanda eſt.
D. Conſona quæ libris, vera eſt; quæ diſſona, falſa.
M. Anne alios recipit libros * Eccleſia ſancta?
D. In Canonem haud alios recipit ſanctiſſima Mater:
Sunt equidem libri formandis moribus apti,
Utiliterque legi quos poſſe Eccleſia cenſet;
Sed quæ divinis Scripturis cedere debent,
Ut qui non rarò videantur inepta docere;
Ne dicam falſa, & ſecum pugnantia plané.

* *De libris Apocryphis.*



ΠΕΡΙ



ΠΕΡΙ ΑΡΧΩΝ,

Sive

De Principiis Religionis Chriſtianæ,

LIBER SECUNDUS.

MAGISTER, DISCIPULUS.

M. JAM mihi, ſi poſſis, Quid ſit Deus, ede, Philippe.
D. Difficile eſt nobis de * Numine dicere ſummo;
Tanta eſt naturæ Illius præſtantia, ut illam
Humanæ nequeant mentes comprendere, ſed nec
Angelicæ poſſunt: in eo ſunt omnia planè
Infinita: proinde Deum deſcribere tentans
Omnis victa jacet facundia. *M.* Tu tamen Illum
Ex ſcriptis, tutò poteris deſcribere ſacris.
D. Ex ſcriptis illis, per quæ ſe præbuit ipſe
Noſcendum nobis, Quid ſit Deus edere tentem.

* *De Deo.*

Illud ſacra docent oracula. Quod Deus extet
Spiritus æternus, puriſſimus, ingenituſque,
A ſeſe exiſtens ante omnia ſecula ſolus,
Simplex, materiæ longèque à fæce remotus.
Qui ſic E S T, ut verè ipſi uni competat E S S E;
Qui non eſſe nequit, dans omnibus eſſe, beatus,
Nullius indigus, ipſe ſimul ſibi ſufficienſque,
Immenſus, loca complens omnia, nec tamen ullo
Incluſus; quem mens hominum comprendere neſcit,
Idem conſtans, & nullo mutabilis ævo;
Omnipotens, ſapiens, bonus unus, (ſic bonus, ut ſit
Fons & origo boni ſimul omnis) juſtus, & idem
Clemens, ſanctus, verax, perfectiſſimus unus:
Cujus gloria fines non habet. Ille ſupremus
Qui nunc *EST*, ſemperque *FUIT*, ſemperque *FUTURUS*.
Hic ſolus verus Deus eſt, per ſecula vivens,
Summum habitans cœlum, & longè ſuper æthera lumen
Illud inacceſſum mortalibus. *M*. Ergo, Philippe;
Huic ſimile in rebus credis nihil eſſe creatis.
D. Huic credo ſimile eſſe nihil, nihil eſſe ſecundum.
Namque Creatori (per ſeſe quatenus extet)
Cùm rebus planè nihil eſt commune creatis;
Quæ certè quod habent, ab Eo noſcuntur habere,
Vivere nempe, moveri, atq; *eſſe*, ut Paulus Athenis
Clamavit, teſtemque ſuum produxit Aratum,
Hæc quæ edoctus erat naturæ luce canentem.
M. Illene nos fecit? *D*. Verbo Deus omnia fecit
Ex nihilo (eſt Illi ſiquidem infinita poteſtas)
Conſervatque ſimul, nobis quoque providet idem.
Omnia cum ratione regit Deus, & videt unus
Omnia, mortali nulli aſpectabilis ipſe.
M. An mentes hominum Deus inſpicit? *D*. Inſpicit, &
Mentibus his inſint novit ſecreta, diu antè (quæ
Quam

Quam vel formentur: sunt omnia nuda & aperta
Ejus luminibus, cui curæ nos sumus omnes.
Hinc pura (cum sit mens Ipse æterna) requirit
Mente coli potius, quam dono aut sanguine tauri.
M. Ergo Illi cultus debetur. *D.* Quis dubitabit,
Ille parens hominum cùm sit rerumque Creator.
M. Quid gentes olim coluerunt? *D.* Numina * vana,
Vita homines functos, terram, mare, sidera cœli,
Dæmonas impuros, serpentes, quadrupedesque,
Muta idola, Deo rerum genitore relicto.

M. Quis sit legitimus † cultus nunc Numinis ede.
D. Ille est, quem voluit nobis præscribere Numen.
M. Credere te dicis, puer optime; jam mihi narra,
Quæ sit sancta fides, quà tu, quì Ecclesia gaudet?
D. CREDO UNUM ESSE DEUM, ÆTERNUM, (PATREM OMNIPOTENTEM
OMNIA QUI FECIT, SIMUL ET REGIT OMNIA (SOLUS.
CONFITEOR JESUM ÆTERNI NATUM ESSE (PARENTIS:
QUI VIRTUTE DEI, ET DEMISSA COELITUS (AURA,
REGALI BETHLÆ EST MARIA DE VIRGINE (NATUS.
QUI PRO PECCATIS MUNDI MALA PLURIMA (PASSUS,
AFFIXUSQUE CRUCI ROMANO AUCTORE (PILATO,
MORTUUS ATQUE SEPULTUS ERAT, DESCENDIT IN HADEN

D 2 SED

* *De diis gentium.* † *De vero cultu.*

SED POSTQUAM TERRIS LUX TERTIA FUL-
(SIT IESUS
EXIIT EX TRISTI PROPRIA VIRTUTE SEPUL-
(CHRO,
INTRAVIT VICTOR SUBLIMIA MOENIA
(COELI.
AD DEXTRAM DIVINI UBI NUNC SEDET ILLE
(PARENTIS.
INDE OLIM JUDEX VENTURUS TOTIUS
(ORBIS.
EX ANIMO CREDO, QUOD SIT QUOQUE
(SPIRITUS ALMUS:
CREDO QUOD IN TERRIS ECCLESIA SANCTA
(SIT UNA
CATHOLICA (UT QUÆ SIT JAM TOTUM
SPARSA PER ORBEM.)
CREDO COMMUNI SANCTOS GAUDERE SA-
(LUTE,
ESSE OMNES UNUM CORPUS, SACRA MEM-
(BRAQUE CHRISTI.
ATQUE FIDELIBUS IN CHRISTO PECCATA
(REMITTI.
CREDO QUOD AD VOCEM CHRISTI CARO
(NOSTRA RESURGET,
ET QUOD VITA MANET SANCTOS SINE
(FINE BEATA.

M. Sana fides illa eſt, & ſcriptis conſona ſacris,
Et quæ à principio fuit olim tradita ſanctis.
Dic, quæ præcipuè didiciſſe videris in illa
Verborum forma? *D.* Tria; Primùm agnoſcere diſco,
Immenſum, æternumque Parentem, & credere in illum
Qui non me tantùm, ſed & ipſum condidit orbem:
Credereque in Natum, pretio qui ſanguinis omnes,
Qui

Qui ſalvi eſſe velint, à dira morte redemit.
Denique credere in hunc, qui Sanctus Spiritus audit,
Qui me ſanctificat, populum Electumque per orbem:
M. Anne Pater ſolus * Deus eſt, annon quoque Natus,
Spiritus & Sanctus, regitur quo Eccleſia? *D.* Certè
Eſt Pater ipſe Deus, Natus Deus, eſt Deus almus
Spiritus; haud tamen hi tres Dii ſunt, ſed Deus unus:
Credere id eſt juſtum, ſcelus eſt ſcrutarier ultra.
M. Te decet illa, puer, firma ratione probare.
D. Nil equidem contra rationem credere fas eſt;
At quæ ſunt ſupra rationem, & quæ Deus ipſe
Aſſerit, hæc ſumma creduntur cum ratione.
Tres, ait Scriptura, *in cælo teſtantur, & Unum*
Hi tres ſunt, Genitor, Verbumque, & Spiritus almus.
Tradidit hoc Deus ipſe, fidem dubitemne adhibere
Quamvis hæc noſtrum videantur vincere captum?
Heu carne indutis caligant lumina nobis
Ad res cœleſtes, tantùmque ex parte videmus;
Facti immortales ſpeculabimur omnia clarè! (Natus
M. Nonne minor Patre eſt Natus? *D.* Minor eſt Patre
Ut ſit homo, verum non eſt minor ut Deus. *M.* En *Me*
Major, ait Chriſtus, *Pater eſt meus.* *D.* Eſt, velut ille
Qui mittit, ſit major eo, qui mittitur: aut ut
Sit genito ingenitus major. Sic verba ea Patres
Intellexerunt ſancti, queis fons & origo,
Principiumque Pater Deitatis dicitur. *M.* At qui
Natura Genitor genito prior extet oportet.
D. Scilicet in rebus factis, non in Deitate,
Quæ nec facta fuit, nec id eſt, quod non fuit antè
Quam vel jacta forent hujus fundamina mundi.
En Deitati inſunt Tres, (quos Eccleſia Græca
Nomine Hypoſtaſiôn ſolet indigitare, Latina

 Perſonas

* *De S. S. Trinitate.*

Perſonas dixit,) quibus una Eſſentia viva eſt,
Principio, extremoque carens, dans omnibus eſſe.
In Tribus his ſacris, nihil eſt majuſve, minuſve;
Nil prius in Tribus his planè, nil poſteriuſve;
Sed ſimul exiſtunt per ſe Deus unus ab ævo.
Æqua his perſonis tribus extat gloria, & æqua
Majeſtas, bonitas, ſapientia, & æqua poteſtas.
Tunc patuit Triados ſacræ exiſtentia, quando
Chriſtus Jordanis baptizaretur in undis;
Cum Pater è cœlo loqueretur, Filius undis
Exiret, viſus deſcendere Spiritus eſſet,
Sub forma innocuæ populo atteſtante Columbæ.
M. Dic mihi, an unà operantur tres illi? *D.* Unà operan- (tur;
Nam quodcunque Parens agit, illud Filius, atque
Spiritus almus agunt, ut ſacra Oracula tradunt,
Et Patres; *una Tres illi operantur ad extra*;
M. Ergo hi Tres cœlum terrámque creâre. *D*. Profectò;
Nemo creatores tamen hinc tres dixerit eſſe,
Cùm tres Perſonæ ſacræ illæ ſint Deus Unus;
Una atque indiviſa Dei eſt eſſentia planè.
M. Verum cum ſimplex eſſentia ſit Tribus illis,
Quomodo diſtingui credis, puer optime? *D*. Credo
Diſtingui illas ſola exiſtendi ratione,
Quæ non communis tribus eſt, ſed propria cuique
Perſonæ Triados ſacræ: cui laus ſit in ævum.
M. Dic, quid Perſonæ proprium ſit cuique, Philippe,
Nam ſic ter ſanctæ Triados natura patebit,
Quantum eadem pateat nobis mortalibus ægris.
D. Eſt proprium generare Patri; Nato generari;
Spirituíque ab utróque ſimul procedere Sancto;
Verum ita ut expertes tres omnis originis extent,
Vel ſic; Eſt proprium *Patri eſſe à nemine; Nato*
A Patre ſolo eſſe; Almo Spiritui eſſe ab utróque.

M. Hic

M. Hic ſe mens hominum victam fateatur, & almæ
Hic ratio fidei ſeſe ſubmittat oportet,
Auditur quoties gigni potuiſſe Satorem
Orbis, & æquævum Genitori exiſtere Natum.
D. Certè; nam geneſin quis Verbi enunciet unquam,
Concipiátve animo? nulli eſt effabilis illa
Mortali; ſed quam nequeo comprendere, credam;
Atque ſilentio, ut eſt æquum, myſterium adorem.
M. Anne hujus ſacræ Triados datur ulla figura
In rebus factis? *D.* En rebus ineſſe videtur
Sacræ hujus Triados, ſed valdè obſcura figura,
(Nempe Deo ſimilis res nulla per omnia facta eſt,)
Ter ſanctæ Triadi mihi reſpondere videntur
Quæ nobis inſunt Mens, & Sapientia, Amórque:
In nobis habitus mentis Sapientia, amórque
Eſt animi affectus; non ſic ſunt in Deitate;
Per ſe ſubſiſtunt in ea; ſi quomodo quæras,
Eſt modus omnino non enarrabilis ulli.
M. Qua ratione probas IESUM eſſe Deúmque * homi- (nêmque?
D. Facta Deum monſtrant, hominem mors ipſa fatetur.
Illius ut nihil attineat memorare dolores.
Ille Dei ΛΟΓΟΣ eſt, per quem Pater omnia fecit,
Et ſine quo planè factum nihil extat eorum
Quæ ſunt facta; ΛΟΓΟΣ Deus eſt, Deus eſtque pro- (inde
JESUS factus homo, & latitans ſub imagine ſervi.
M. At *Primogenitus* cujúſque rei Ille creatæ
Dicitur. *D.* Et verè; at nemo, probet inde creatum,
Sed genitum eſſe (& ſane ante omnia ſecula) Chriſtum.
Nemo creaturam dicet, quem exiſtere conſtet
Ante orbis quam factus erat, réſve ulla creata.
Quin ſæpe id *Primogeniti* vox ſignat Hebræis,
Quod

* JESUS Θεάνθρωπος.

Quod *Dominus* ſolet, aut *hæres* ſignare Latinis.
JESUS hac ratione rei cujúſque creatæ
Eſt *Primogenitus*, qua eſt hæres: inde vocatur
Illorum *Primogenitus*, qui in luce ſuprema
Ad vocem ipſius devicta morte reſurgent.
At *Primogenitus* ſic eſt Salvator, ut idem
Unigena exiſtat, fratrum Dominúſque ſuorum.
Tunc ego res inter Chriſtum numerabo creatas,
Cum nempe evincat quiſquam rem poſſe creatam
Omni principio exiſtendi, & fine carere.
Quid nonne in ſcriptis teſtantur ſæpe Prophetæ
Meſſiam æternúmque Deum, Dominúmque futurum,
Inter mortales qui degeret aſpiciendus
Humanis oculis tectus velamine carnis?
Nonne eſt ille Deus, totóque colendus in orbe,
Cui fuit in Cœlis ante omnia ſecula ſumma
Gloria apud Patrem; quem (viſu deſuper ipſi
Facto) Evangelicus legitur vidiſſe Propheta
In Templo ante annos multos, quam ſit caro factus
In non enarranda majeſtate ſedentem,
Cœlicolarum ejus ſedem cingente corona,
Pennis ora ſibi velantum, ſive quod eſſent
Coram ipſo impuri, ſive haud perferre valentes
Illud ſplendoris pondus, quo tunc gaudebat
Chara Dei ſoboles, & quo gaudebit in ævum.
D. Dic mihi, num Pater eſt ſolus Deus ille ſupremus?
D. Natura non eſt, verum ut Pater, ordine tantúm.
M. At ſunt qui dicunt (non his attendere viſi (mum,
Quæ affirmant) ΛΟΓΟΝ eſſe Deum, at non eſſe ſupre-
A ſe exiſtentémque Deum, ſed quod Pater unus
Is ſit qui à ſeſe exiſtit, ſimul eſtque ſupremus
Damnatam Patribus ſanctis revocare ſtudentes
Hæreſin ex orco, & mundi turbare quietem.

D. Qui

D. Qui non à ſeſe exiſtit, non eſt Deus ille:
Nam Dei ut à ſeſe exiſtat natura requirit.
Vel ſi tu mavis, eſſentia, quæ una ſit, atque
Indiviſa tribus perſonis: ſi Pater à ſe
Exiſtat, Natus certè à ſe exiſtat oportet,
(Ut Deus) exiſtat ſimul à ſe Spiritus almus,
(A ſe exiſtere, & à ſe non exiſtere neſcit
Natura illa Dei, nullo mutabilis ævo.)
Si Deus à ſeſe exiſtens, unus ſit, & alter
Non à ſe exiſtens, dii ſunt duo, ſi duo, plures
Poſſunt eſſe Deos, id prudens nemo negabit.
Nonne eſt ille Deus, qui Patris imago, character,
Et Splendor; qui cum rerum foret auctor amandus,
In formáque Dei, non credidit eſſe rapinam
Eſſe Deo æqualem: (num res valet ulla creata
Eſſe Deo æqualis?) quem juſſu Patris adorant
Angeli in excelſis, & cui ſit ab omnibus idem
Dandus honor qui cœleſti Patri datur ipſi?
M. Nonne à Patre ſuum JESUS habet Eſſe, Philippe,
Ut Deus eſt? *D.* Minimè; namque ut Deus extat (IESUS,
Una eſt illius Patríſque eſſentia, nempe
Æterna, indiviſa, loco concluſáque nullo.
Æterna atque immenſa eſſentia non generatur,
Augeri, minui, mutari neſcia ſola.
Nam quamvis perſona ΛΟΓΟΥ generatur, ab ævo eſt,
Ante quidem quam ſit res ulla creata, modóque
Quem nemo enarret, quem mens comprendere poſſit
Nulla; ſibi notus ſoli eſt Altiſſimus ipſi
Perfectè; Æternus cum quid ſit dicere vellem
Mens ſtupet, & video planè rem fine carentem
A re finita comprendi haud poſſe. *M.* Philippe,
Quod dicis verum eſt, quod & obſtruat ora profanis
Scire volentibus hæc quæ ſciri poſſe negamus.

D. Præ-

D. Præterea abs alio quicunque habet Esse, creatis
Annumerandus erit rebus, quia rem simul omnem
Constet in orbe creantem aut esse, aut esse creatam:
Nempe creatorem inter, qui dedit omnibus esse,
Atque creaturam medium, me judice, nullum est:
M. At Pater est, aiunt illi, sine origine solus.
D. Audio; si Pater est solus sine origine, certè
Nato & Spiritui Sancto sit origo necesse est;
Et tunc quomodo erunt æterni, queis sit origo?
M. Et quid ad hæç falsi doctores? *D.* Nempe videre
Nolunt, quæ ex verbis ipsorum absurda sequuntur.
M. At tu, quæ ex verbis ipsorum monstra sequuntur
Edere perge, puer; nam sunt evertere planè
Visa mihi sacræ fidei fundamina nostræ.
D. Si JESUS noster non sit Deus ille supremus,
Est nullus, (siquidem non est Deus alter in orbe
Præter Supremum) si non sit homo & Deus idem
Vana est nostra fides, spes omnis vana piorum.
Quid mors illius nobis prodesset acerba,
Si sit merus homo? vel quomodo gentibus orbis
Sanguine perfuso foret omnibus ille Redemptor,
Si non sit Deus idem? *M.* At dic mihi, blande Philippe,
An Deus in sacris Scripturis audit IESUS?
D. Audit, in his libris, IMMANUELque vocatur;
Qua una voce Deum nobis signatur adesse;
Non ut adest Sanctis, tantum virtute superna,
Sed quoque ut unitus sit personaliter illi
Qui Pater omnipotens, qui cœlum numine complet,
Ut nunc *Nobiscum Deus est* à gentibus orbis
Cantetur lætè tectus velamine carnis.
Nos in Christo naturas hominísque Deíque
Jungi sub JESU persona credimus una,
In qua sit naturarum confusio nulla.

Imo

Imo poteſtates in Chriſto, & proprietates
Diſtinctas conſtat naturæ utriúſqe manere:
M. Cætera perge, puer, quæ Natum Virginis almæ
Eſſe Deum monſtrant ex ſcriptis promere ſacris.
D. Certe eſt ille Deus, cui nomina Spiritus almus
Noſcitur attribuiſſe Dei, JOVAMque vocâſſe.
Qui cum Patre ſuo eſt unus, (ſic Unus ut ipſum
Qui vidit, vidítque Patrem,) quid plura, Deúmne
Hunc ipſum eſſe negem, qui primus & ultimus idem eſt.
Qui ſit ab æterno, *Pater æternúſque* vocatur,
Omnipotens, toto ſuſtentans omnia verbo,
Omnia qui novit, ſcrutatur corda, & ubíque eſt?
(Quomodo ſi non omnia novit, judicet orbem?)
Qui peccata remittit, ut eſt Deus atque potente
Nomine poſſe ſuo peccata remittere donat,
Nomine itémque ſuo miracula multa patrare.
Cujus ſunt mundi regna, & cui ſumma poteſtas
In cœlo & terris; qui nobis adquefuturum
Se dixit, dum tempus erit; quem turba piorum
Angelicæque colunt mentes, laudántque per ævum.
Qui dabit & vita functis exire ſepulchris,
Et ſimul eſt judex venturus totius orbis?
Huic ego cum Didymo ſupplex, *O mi Deus alme,*
Mi Domine, exaudi dicam, dum vita manebit.
M. Annon eſt JESUS Abrahami filius? *D.* Ille
Filius eſt Abrahami, at qui tamen ante Abrahamum eſt;
(Id coram populo de ſe teſtatur IESUS;
Cum nondum genitus fuit, inquit, *Abramus, EGO SUM.*)
Ipſe diem Chriſti optavit Patriarcha videre,
Vidit, lætatus fuit, & ſpe plenus obivit.
M. Qui Patri Abramo toties apparuit olim,
Atque in eremo deinde fuit cum Moſe locutus,
An fuit Angelus ille creatus, an ipſe Creator?

D. Filius

D. Filius ipſe Dei (qui *Fœderis Angelus* audit)
Æternúſque ΛΟΓΟΣ fuit, is qui poſtea noſtram
Aſſumpſit Natus ſancta de Virgine carnem.
Id Patres uno ore docent, atque id ſimul ipſum
Temporibus cunctis Eccleſia credidit alma.
M. Dum fuit in terris JESUS, cur nec Deus unquam
Néve bonus dici voluit; ſed *Filius* idem
Tantùm *hominis*? *D.* Certè id totum, ſi judico rectè,
Diſpenſatio erat divina requirere viſa;
Ut qui *ſub forma Servi* veniſſet in orbem,
(Quam noſtri cauſa aſſumpſit) retineret eandem,
Dum procuraret mundi moriendo ſalutem.
Filius ille *hominis* nondum ſuper aſtra receptus,
Nondum glorificatus erat; permulta manebant
(Inter quæ Deitas Chriſti) quæ clariùs eſſent
Ex magni Pauli ſcriptis, Evangelicíſque,
Diſponente Deo, ſeclis retegenda futuris
Plurima quæ infirmæ mentes vix ferre valebant,
Ob paupertatem qua vixit in orbe, Crucémque.
Sed Domini Aſcenſu, & ducto de morte triumpho,
Illa Crucis multis viſa eſt offenſio tolli.
M. Quî Deus eſſe poteſt, qui mortuus atque ſepultus
Atque diem fertur planè ignoràſſe ſupremam?
D. Mortuus eſt, fertúrque diem ignoràſſe ſupremam
Ut mortalis homo, non ut Deus extitit ille;
Néve illum, ut Deus eſt, quicquam latuiſſe putandum.
Scilicet in Chriſto naturæ propria utríque
(Ut credat rectè) ſunt diſcernenda fideli:
Ut néve humanæ tribuat, quæ ſunt tribuenda
Divinæ, ſed nec divinæ, quæ tribuenda
Naturæ humanæ, hæreticorum inſomnia vitans,
Qui nunc eſſe Deum, nunc ipſum hominem eſſe negabant.
M. An Deus eſt paſſus? *D.* Paſſus fuit ille profectò

Qui

Qui Deus eſt & homo, noſter Mediator IESUS.
Quamvis non potuit fieri, ut pateretur in illa
Natura, qua ſit Deus omnipotens, ſed in illa
Tantum qua ſit homo, mortíque obnoxius idem.
Eſt tamen in Chriſto JESU naturæ utriúſque
(Diæ atque humanæ) *Communio proprietatum*;
Ut quis de tota perſona dicere poſſit
Cum patribus ſanctis, *En vitæ eſt mortuus Auctor*;
Atque *Cruore ſuo mundum Deus ipſe redemit.*
Hac dici ratione poteſt Homo Chriſtus IESUS
Omnipotens, & quod cœlo deſcenderit alto,
Condiderit mundum, ſciat omnia, & adſit ubique.
M. En felix eviciſti rationibus illis
Quas nemo evertat JESUM eſſe Deúmque hominémque:
Sed cur, chare puer, credis quod Spiritus almus
Sit Deus? *D.* Æternus quia ſit, réſque ante creatas
Omnes exiſtens; quia cum Patre, cum Genitóque
Condiderit mundum, foveátque; quia & hæc tribuantur
Spiritui, quæ conveniunt ſoli Omnipotenti,
Omnia poſſe, meare per omnia, & omnia ſcire. (almus
Denique (quod grave pondus habet) quia Spiritus
Ille ſit in cujus jubeamur nomine tingi.
M. Pulchrè ex Scripturæ deducis fonte perenni
Omnia ſacræ. Ergo Perſona eſt Spiritus almus
Per ſeſe exiſtens ante omnia ſecula: *D.* Certè;
En mitto, ait JESUS, *ALIUM, qui pectora vobis*
(*Atque adeo PARACLETUS erit*) *mœrentia blandis*
Mulcebit dictis, venturáque multa docebit.

M. Pergamus, ducente Deo: Te credere dicis,
Quod Deus iſtius mundi moderetur habenas.
D. Firmiter id credo. *M.* Nulla eſt Fortuna proinde

In rebus. *D.* Nulla eſt * Fortuna, ſed omnia certo
Ejus conſilio eveniunt, qui cuncta creavit;
Cuncta ad præſcriptum ducit ſimul ordine finem.
Interea eſt bonus ipſe, & ab omni crimine purus.
Quod regat Omnipotens orbem ſapienter, id orbis
Ipſe ſatis docet, & rerum pulcherrimus ordo.
M. Magna quidem curare Deum docuiſſe videntur
Qui falsò dicti Sapientes; parva negabant
Sub cura ipſius, qui temperat aſtra, venire:
Quid tu reſpondes? *D.* Conſtat curare Tonantem
Magna & parva ſimul: numerat cujúſque capillos
Ipſe Deus: cunctis animantibus ille miniſtrat
Pabula; nec cadit in terram paſſerculus unus
Abſque voluntate Illius qui cuncta gubernat.
Si curæ ſunt bruta Deo; quanto magis Ipſi
Nos erimus curæ, quorum causâ (ut monumenta
Vatum ſacra docent) reliqua omnia facta fuerunt.
M. Num tam ſublimi naturæ, támque beatæ
Curarum turba laſſari convenit? *D.* Ipſi
Convenit hæc curare quidem, quæcunque creavit;
Res hominum in primis, quibus optimus ipſe Creator
Omnia ſub cœlis dedit inſervire benignè,
Certè ſi nemo ſapiens, quas fecerit ipſe
Abjiciet rerum curam, quantò minus Ille
Qui ſolus ſapiens Deus eſt, abjecerit unquàm
Illarum rerum curam, quas condidit idem,
In primis hominum, quos ipſe creâſſe videtur,
Ut ſint participes ejus bonitatis, & illi
Qui meritas ejus celebrent in ſecula laudes.
Nos quia mortales curis laſſemur, ineptum eſt,
Ullis poſſe Deum laſſari credere curis:
Spiritus

* *De Providentia.*

Spiritus eſt Deus, imo actus puriſſimus, omni
Affectúque carens, qui nobis accidat. *M.* Atqui
Dicitur iraſci peccantibus, & ſimul ægrè
Plurima ferre Deus. *D.* Certè; at quis non videt illa
Atque alia ad captum noſtrum de Numine dici?
Si Deus iraſci, vel ſi doluiſſe feratur,
Non patitur, non mutatur natura beata;
Non dolor aut illi gravis eſt, aut ira moleſta:
Nimirum nequit Omnipotens non eſſe beatus.
M. Ergo in eo non ſunt defectus, ira, dolórque.
D. Nec ſunt in nobis defectus ſemper; in Illo
Nunquam: nève Deo poſſit defectus ineſſe,
Qui rebus cunctis ſit fons & origo creatis.
M. Sunt Epicurei, qui *Caſu cuncta coiſſe*
Affirmare audent. *D.* Nemo æger ineptius illis
Delirare poteſt, qui talia ſomnia vendunt;
Illos communi ſenſu, & ratione carere
Plus quam bruta carent animalia conſtat: at illos
Ipſa ſatis per ſe rerum natura refellit;
Quo mihi forte minus ſit reſpondere neceſſe.
M. Quamvis ipſa ſatis rerum natura loquatur
Cuncta creâſſe Deum ſapienter, (*pondere* nempe
Menſura & numero, ut ſapiens quis ſcripſit Hebræus)
His tamen ora viris fortè obturare juvabit.
D. Quæ ritu planè procedere ſemper eodem,
Ordine mirando, & fini inſervire notantur
Eximio, hæc *Caſu fieri* non poſſe probantur;
Caſu, quo nihil eſt toto inconſtantius orbe,
Nil quod *Conſilio* magis omni ex parte repugnet.
Dum ſolem & lunam, & fulgentia ſidera cœli
Aſpicio, & certa video omnia lege moveri;
Dum video terram repleri animantibus almam,
Arboribus, plantis, herbis, & piſcibus æquor,

Usibus humanis famularíque omnia pulchrè,
Omnia *Mentis* opus simul esse agnosco, & ab ipso
Conservari uno, qui condidit omnia solus.
Qui *Casu* hæc fieri putet, ille palatia regum,
Excelsas urbes, sulcantes æquora naves
Non arte humana, sed *Casu* condita credat.
Imò dum fabricam contemplor corporis hujus
Quod gero, tótque simul video miracula in illo;
Protinus exclamo, *Qui non hoc esse fatetur*
Infinitæ Mentis opus, sit cæcus oportet.
M. Si Deus omnipotens regat orbem, cur mala multa
Sæpe boni in mundo patiuntur; cur itidémque
Sæpe mali florent? cur hi tolluntur in altum,
Illos perpetuo affligíque premíque videmus?
D. Id quoque res hominum monstrat curare Tonantem;
Utile sæpe bonis fuit hâc mala multa tulisse
In vita, fideíque invictæ exempla dedisse.
Sunt adversa bonis id quod medicina sit ægris:
Corporis huic varii cedunt sævíque dolores;
Illis morbi animi arcentur, virtúsque probatur.
Dum bonus æquo animo patitur quæcunque Parenti
Cœlesti fuerit visum ipsi immittere blandè,
Pauperiem, exilium, morbos, variósque dolores,
Funeráque ante diem permulta videre suorum:
Præcipue dum vincula ferre, & ponere vitam
Audet amore Dei; ille quidem jucunda Tonanti,
Et jucunda bonis spectacula præbet in orbe,
Glorificátque Deum, dantem credentibus in se
Utcunque infirmis patiendo vincere mundum.
E contrà, multis corrumpunt prospera mores,
Et dant immemores simul esse Deíque, suíque.
Vox Sapientis erat, *Nihil infœlicius illo est,*
Cui nihil adversi evenit. Scripturáque clamat,

En ut castigant sua pignora chara parentes,
Sic Deus omnipotens castigat quos amat ipse.
M. Cur mala multa boni patiuntur, jam docuisti:
At cur sæpe mali florent, dic, blande Philippe.
D. Sanctorum certè fuit illa querela virorum
Temporibus priscis, ut nunc est; sed sine causa.
Namque malos homines non illico fulmine perdit,
Sed reprimit dextram Deus almus, ut ad meliorem
Illos perducat mentem bonitate stupenda,
Exemplóqe suo doceat, quam nos decet esse
Ad veniam faciles, & tardos semper ad iram.
Quinetiam persæpe mali tolluntur in altum,
Ut lapsu graviore ruant, Deus indéque honorem
Conciliat sibi: sed verbo ut nunc expediam rem,
Judicium expecto, & cum sanctis spero futurum,
Justitiam Domini quod clara in luce reponet.
Nec fovet illius (cum sit Deus undíque justus,)
Judicii nobis spem res magis altera, quam quod
Floreat impietas, virtúsque prematur in orbe:
Si nunc ergo pii lugent, gaudéntque superbi,
Est olim rerum mutatio magna futura,
Cum dabitur gaudere piis, plorare superbis.
Hæc spondet ventura Deus, qui fallere quemquam
Nescit, promissísve suis non stare per ævum.
Ergo dum veniat lux ultima comprimat ora
Quisque sibi ad rerum convertens lumina finem.
M. At cum sint multi, qui dicunt ore profano,
Quod nunc est, id semper erat, sempérque futurum,
Mundus ab æterno est, idémque manebit in ævum.
Dic mihi, blande puer, naturæ an lumine constet
Incepisse orbem, finémque aliquando habiturum?

D. Incepisse * orbem naturæ lumine constat;
Qua ratione quidem Deus esse probatur ab ævo,
Mundus ab æterno non esse probetur eadem.
M. Tu mihi, rem paucis demonstra, blande Philippe.
D. Causa sui ipsius mundus nequit esse; proinde
A causa est alia, quæ mundo antiquior ipso est;
(Hanc causam esse Deum solida ratione probavi,)
Æternum nihil est, quo aliud quicquam prius extat:
Insuper æternum non est quodcunque movetur;
(Omnis enim motus fit tempore, & omne moveri
Cui datur, à puncto ad punctum moveatur oportet;
Et quodcunque movetur, id incepisse necesse est
In puncto quodam, ratio id docet ipsa, moveri:)
At nunc in mundo manifestum est cuncta moveri;
Ergo nec mundus, cum mobilis extet, ab ævo est.
Si quid ab æterno concedas posse moveri,
Id valde absurdum, perridiculúmque sequetur,
Quod nihil in rebus prius extet, posteriúsve;
Nec sit causa suo effectu prior; imo parentes
Haud facile ante suos natos vixisse probentur.
Id si concedas, Quod res generentur ab ævo,
Jure quidem potuit dubitari, *Utrum prius Ovum,*
An Gallina foret? (sic disceptare solebant
Hi miseri, quibus est ignota creatio rerum:
Ignotúsque Deus, qui tunc cum conderet orbem
Omnia pro bonitate sua perfecta creavit.)
Porrò qui varios solis lunæque labores
Dicet principióque carere, & currere ab ævo
Sidera, præter quam quod motum his auferat omnem,
Ille dari annorum numerum supponat oportet
Actu infinitum; quæ res numeríque repugnat
Na-

* *Mundum non esse ab æterno.*

Naturæ, rationíque eſt contraria rectæ.
Quinetiam per ſe notiſſima gentis origo
Cujuſque in terris, artéſque deinde repertæ,
Conditáque imperia in variis regionibus orbis,
(Quatuor in primis quæ vulgò *Summa* vocantur,)
Nulla inter gentes planè monumentáque rerum,
Quæ multum ſuperent Trojani tempori belli,
Exiguis ab origine mundi ad tempora noſtræ
Sex mille annorum concluſáque finibus omnis
Hiſtoria, (immenſi quota pars eſt temporis illa!)
Demonſtrat mundi novitatem. At corruiturum
Ipſum non conſtat naturæ lumine: nec tu
Qua ratione probes ortum natutam habuiſſe,
Interitúmque probes habituram: cauſáque plana eſt.
Nam cuicunque rei dedit eſſe Deus, det eidem
(Si volet ipſe) dehinc per ſecula cuncta manere:
Nos verbo edocti divino credimus uno,
Quod pulchri iſtius ruet olim machina mundi.
M. Et quod facta ſimul fuit, annon tutiùs eſſet
Credere, quam velle id ſola ratione probare?
D. Tutiùs id certè; ſed nil obſtare videtur
Quin ratione probes, quod credere tutiùs eſſet.
Credimus eſſe Deum, mundúmque à Numine factum:
Attamen invicta ratione probetur utrúmque.
Nempe Dei verbi lux nunquam extinguere viſa eſt
Naturæ lumen: Fidei ratio ipſa miniſtra eſt.
M. Judicium expectans poſt funera vivere mentes
Humanas credis? *D.* Credo. *M.* Sed, chare Philippe,
Unde probas animas humanas morte carere?
D. Quamvis naturæ viderunt lumine gentes
* Morte carere animas, tamen illud credere malim
Voce

* *De Immortalite animorum.*

Voce Dei edoctus, quam vel ratione probare.
Natura ipſarum ſimplex (non partibus illæ
Conſtant) atque adeo corrumpi neſcia, monſtrat
Eſſe immortales animas: cœleſtis origo
Eſt illis; ergo quid mirum ſi redeundi
Ad cœlum, genus unde trahunt, teneantur amore?
Súntne immortales natura? *D.* Maximè; at ipsà
Natura quod habent, id habent à Numine ſolo,
(Corporibus ſupereſſe ſuis,) cum ſit Deus unus
Naturæ ipſius celebrandus gentibus Auctor.
M. Ergo animæ humanæ, & ſimul Angeli in orbe ſupre-
Sunt immortales illius munere ſolo, (mo,
Omnia qui fecit. *D.* Res omnis pendet ab Illo,
Qui ſpirare, moveri, atque omnibus eſſe det unus.
Sic immortalis † ſolus Deus extat, ut ipſe
Sit ſolus per ſe exiſtens, & originis expers.
Ipſe mori neſcit ſolus; ſed ſi velit idem,
Poſſe creata mori conſtat, penitúſque aboleri.
Quid vetet in nihilum id redigi, quod nil fuit ante,
Si velit Omnipotens? Sed nil niſi quod ſit honeſtum
Et ſe dignum velle Deum, certiſſimè habendum.
Semper erunt animæ, qui vult Deus optimus, ut ſint
Semper, & accipiant pœnas vel præmia in ævum.
Incorruptibilis ſubſtantia mentibus extat
Lege quidem ſacra, quam rerum maximus Auctor,
Quamvis omnipotens, minimè tamen abroget unquam;
Quod ſanctis promiſſa ſuis (verbóque tenetur
Ipſe ſuo, ut verax Deus eſt) impleverit olim,
Illius in cœlis faciem ſine fine videndi.
Quodnam animis decus eſt, quas una aboleverit hora?
Et quid præſtat homo brutis, quæ morte perire
Con-

† *Solus Deus per ſe immortalis.*

Conſtat, ſi totus periturus morte ſit ipſe,
Altus & in tenues abiturus ſpiritus auras?
M. Unde probas, quod ſit cœleſtis origo, Philippe,
Mentibus? *D.* Id Moſis mihi ſcripta docere videntur.
Nam Moſes rerum pandens primordia tradit,
Quod Deus omnipotens, cum totum conderet orbem,
Bruta ex terra & aquis animalia ſurgere juſſit.
Aſt homini poſtquam formâſſet membra rubenti
Ex limo, prudens his membris indidit auram
Materiæ expertem, & vitæ ſine fine capacem.
Poſt mortem in terram redeunt animalia bruta,
Ex qua (ut ſacra docent oracula) ſumpta fuerunt;
At migrant animæ noſtræ poſt funera ad Illum,
Qui dedit has nobis, & Spirituum Deus audit.
M. Mens ergo humana eſt eſſentia ſpiritualis;
(Id niſi fallor, enim tu voce intelligis auræ
Materiæ expertis.) *D.* Rectè; nam ſpiritus oris
Divini mens eſt hominis, non partibus ullis
Conſtans, corporeis minimè annumerandáque rebus;
Quin operari poſſe animam ſine corpore conſtat.
Mirandus Paulus fuerítne in corpore, quando
In cœlum raptus non enarranda videret,
Anne extra corpus ſeſe neſcire fatetur:
Quæ ſine corpore agat mens, hæc ſine corpore vivat,
Et cum ſint tumulo concredita membra ſuperſit.
En hodie mecum in Paradiſo eris, inquit *IESUS*,
Latroni; at JESUS decus illud non dedit ingens
Carni latronis Paradiſia regna videndi;
Ergo dedit menti, qua ſola eſt ille ſuperſtes;
Qua ſola veniam nactus quoque vivit in ævum,
At dubitandi, númne animæ poſt funera vivant
Anſam aufert omnem facilè mortalibus ægris
Vox ſacra in ſcriptis Domini teſtantis IESU,
Jam

Jam Patribus ſanctis animas ſupereſſe, vigere,
Cumque Deo in cœlis, vita gaudere perenni.
Sum Deus Abrami, Domini vox extitit olim,
Tunc cum marmoreum tegeret Patris oſſa ſepulchrum.
Verum qui Deus eſt Abrami, ejúſque nepotum,
Certè vivorum Deus eſt, non luce carentûm:
Parte igitur meliore ſui jam vivit Abramus:
Si quis adhuc dubitat, montem petat ille Taborem,
Hic Moſen atque Eliam, mediúmque videbit
Stare Dei Natum, eximio fulgore coruſcos
Omnes, & vates de ſæva morte loquentes
Quam pro criminibus mundi pateretur IESUS.
Hæc poſtquam vidit, fateatur vivere Moſen,
Et ſimul Eliam cum Chriſto in luce perenni.
Imo bonis cunctis poſt mortem vivere mentes
Sæpius in Scriptis teſtatur Spiritus almus:
Illas non ſævos occidere poſſe tyrannos;
Illas illæſas inter tormenta manere,
Corpore & egreſſas in pace quieſcere blanda.
Hinc Stephanus moriens animam commendat IESU,
Cur? quia poſt mortem victuram credidit illam.
Scilicet objectum divini ut quid ſit amoris,
Id certè in rerum natura exiſtat oportet:
Eſſe Deo curæ nequid id, quod deſiit eſſe.
Præterea humanæ mentes niſi morte carerent,
Non eſſet vel pœna malis, vel præmia juſtis:
Si nullus poſt fata dolor, ſi nulla voluptas,
Quid vetet impuros Epicuri de grege porcos
Gaudere, & cantare, *Tuo, dum vita ſuperſit,*
Indulge genio: comede & bibe, cras moriemur;
Illud poſt cineres erimus, ſupremáque fata,
Quod nondum nati fuimus. Si denique nullum
Judicium fuerit ſub mundi fine futurum,

In quo quiſque feret pro factis præmia, certè
Juſti præ reliquis miſeri mortalibus eſſent;
Injuſti poſſent ſoli dicique beati.
Quo magis abſurdum nil fingi poſſe videtur,
Si quem nos omnes naturæ lumine ducti
Credimus eſſe Deum, juſtum ſimul eſſe fatemur.
Denique quo melior quiſque eſt, propenſior illo eſt
Ad credendum animas humanas morte carere;
Ut cui ſpes ſubſit, cum mors ſibi finiet ævum,
Tunc ſe fœlicem fore, perfectèque beatum.
E contrà, quicunque ſcelus committere pergit,
Optabit miſer ille, mori cum corpore mentes
Humanas, metuens meritas poſt funera pœnas.
M. Sed quid eis demum reſpondes, qui ſibi fingunt,
Victuras aliquot nobis poſt ſecula mentes;
Interea ſimul ac hæc membra caduca relinquunt
Aut redigi in nihilum, aut planè evaneſcere in auras?
D. Sufficere hæc poſſint, quæ jam memoravimus, illis:
At ſibi ne plaudant, juvat hic ſubjungere pauca.
Quin Deus in nihilum redigat res, ſi velit ipſe,
Non dubito; ſed velle Deum id, quis dixerit? aut quis
Omnia velle Deum, quæ poſſit, dixerit unquam?
Eſſe quidem quid ſit quodammodo ſcire videmur:
At quid ſit planè *Non eſſe* vel *Annihilari*,
Nec novit quiſquam, nec verbis explicet ullis.
Naturæ periit pars nulla, nec ulla peribit,
Præter eam, quæ ſit flammis peritura ſupremis:
(Si peritura quidem, nève, ut ſenſere vetuſti
Scriptores aliquot, potius renovanda.) Nec iſte
Orbis certe alia vi ſolvi poſſe videtur,
(Quamvis ſolvendus) quam qua ſit conditus olim:
Anne minore animas (quas ante probavimus ipſa
Natura, at magis arbitrio Patris omnipotentis

Eſſe

Esse Immortales) vi solvi posse putemus?
Si quæ peccârunt animæ, sic jam perierunt,
Ut sint in nulla naturæ parte, necesse est
Plectendas olim, quæ non peccâre. Quod absit.
Injustus Deus esse nequit; nec plectere novit
Innocuas animas, quas ipse creaverit Auctor
Rerum post mortem vel corporis illius in quo
Peccatum fuerit. *M.* Credo illud firmiter ipsum,
Quod Domino reddet rationem in luce suprema
Illorum tantùm, quæ in corpore quisque patrârit.
Sed te non pigeat (cum sit me judice pulchrum,)
Plenius hoc argumentum tractare, Philippe
D. Quod peccet, scelerisve capax queat esse, vel ipsa est
Sola anima, aut eadem membris unita caducis:
Credimus esse bonum, quicquid Deus ipse creavit.
Incipere esse malum, tunc demum cum quod ab omni
Parte bonum factum sit, degeneraverit. Ergo
Cui redigi in nihilum contingat, oportet id ipsum
Si virtute Dei producendum sit in actum
Ex nihilo surgat, rursúsque proinde creetur,
Fiat opúsque Dei, (quia nempe creare Dei sit
Unius, ut simul est ejus convertere, quod vult
In nihilum:) verum non credo posse Tonantem
(Ille potestati non detrahit Omnipotentis
Qui rerum Auctorem neget illud posse, quod ejus
Naturæ sacrosanctæ incorruptæque repugnet,)
Nempe creare malum quicquam; nec posse proinde
Ex nihilo pravas animas ducendo creare;
Posse bonas tantùm, quibus Ille haud imputet unquam
Quam non patrârunt culpam; sed nec potuerunt
In rerum nondum natura existere factæ.
Porrò Divina quod sit virtute redactum
In nihilum omnino, nequit id vel ab Omnipotente
(Et

(Et nequit idcirco, quod ſecum pugnet apertè)
Sic refici, ut ſit idem, nimirum quod fuit antè;
Verum aliud planè abs illo, cui à Numine ſummo
Contigit in nihilum redigi, penitúſque aboleri.
Num valet ipſamet res ulla antiquior eſſe?
Aut prius eſſe quìdem, quam ſit? num res valet ulla
Ex nihilo bis térve creari, eadémque manere
Quæ ſemper fuerit? Quis ſanus dixerit unquam?
Ergo manent animæ tales, ſempérque manebunt,
Quales inventæ fuerint in tempore mortis.
Adde, quod omne malum, ſeu pœnæ ſive reatûs,
Re ſine ſubjecta nequeat ſubſiſtere prorſus:
Ergo ſi mentes hominum in nihilum redigantur,
In nihilum ipſarum redigíque neceſſe reatum eſt;
Quis *Non-entis* enim poſſit ſupereſſe reatus?
Quæ virtus animis, quæ jam periere, quibuſque
In nihilum fuerit ſubſtantia tota redacta?
Siqua fuit charitas illis, ſi ipſæ redigantur
In nihilum, pereat charitas ſimul omnis oportet:
At Charitas, inquit Paulus, *non deficit unquam,*
Sed cum ſpéſque fidéſque abolebitur, illa manebit;
Illa Deo ſemper nos junget. Apoſtolus idem
Paulus, ſi mentes hominum poſt fata putâſſet
In nihilum redigi, aut planè evaneſcere in auras,
Nunquam dixiſſet certè, *Mihi præſtat obire,*
Quam vobiſcum una, fratres, in carne manere;
Et veſtram procurando, mundíque ſalutem
Inſervire Deo: niſi ſe ſuper aſtra beatum
Affore ſperâſſet, ſimul atque relinqueret orbem,
Non dixiſſet obire ſibi, ſed vivere lucrum;
(Vivere quis dubitet quin præſtet quam nihil eſſe?
Flebilis huic mors eſt, cui mens ſit morte abolenda,
Et cui cum vita ſpes una evanuit omnis:)

At pugil ille Dei morti jam proximus optat
Diſſolvi, & tandem procul eſſe à corpore; nempe
Ut ſit cum Chriſto, & cum Chriſto vivat in ævum.
Quæ procul eſſe poteſt à corpore, mens ſit oportet,
Cogitet, atque Deo jam defæcata fruatur.
Verè igitur Divus: *Quis nos jam ſeparet*, inquit,
A Chriſto? num mors? at in ipſa morte videmur
Pluſquam victores, agimúſque in morte triumphum.
Scribe beatos, ſpiritus ait, *qui dehinc moriuntur*
In Domino JESU, *namque illi in pace quieſcunt*:
En ſua (*perpeſſos in mundo plurima*) *juſtos*
Facta ſequuntur, inenarrandáque præmia facta.
M. Jam ſatis ex ſcriptis ſacris docuiſſe videris
Humanas animas nequaquam in morte perire;
Vivere poſt mortem noſcuntur lumine ſolo
Naturæ, at rerum cœleſtium & æternarum
Quæ fugiunt ſenſus ita certa ſcientia nulla eſt,
Ac illa in nobis, quam verbo innixa Tonantis
Alma fides generat: quæ ſunt ſuper æthera rerum
Nil certi ſcimus, niſi quod Deus ipſe revelet.
O divina fides, penetrans tentoria cœli,
Et dans nobis, ætherea dum veſcimur aurâ,
Corporeis oculis non contemplanda tueri!
Hæc duo ab ipſamet natura accepimus omnes,
Haud facilè ex animis delenda noëmata noſtris,
(Quæ duo ſunt omnis fundamina religionis)
Eſſe Deum, & noſtras poſt funera vivere mentes.

ΠΕΡΙ



ΠΕΡΙ ΑΡΧΩΝ,

Sive

De Principiis Religionis Chriſtianæ,

LIBER TERTIUS.

MAGISTER, DISCIPULUS.

M. MORS unde intravit? D. Primorum (* errore parentum.
M. Num mortem fecit Deus? D. Abſit, nam neque mortis,
Neve mali Deus eſt auctor: juſtiſſima pœna
Peccati mors eſt; ſed mortem abolebit IESUS.
Quicquid item exiſtit, qua exiſtat, opúſque Dei ſit,
Credimus eſſe bonum; factúmque fuiſſe malum nil:
Omne malum à rebus conſtat fluxiſſe creatis.
Nullum ab Eo qui voce ſua dedit omnibus eſſe,
Cui neque principium vitæ eſt, neque terminus ævi.
Sunt vitia hoc animo, quod morbi & vulnera membris:
Membra his putreſcunt, animus corrumpitur illis.

* *De origine mortis & mali.*

Ut tenebræ haud aliud ſunt, quam privatio lucis,
Sic vitium nihil eſt aliud, quam abſentia recti
Debiti, id eſt, ejus quo prædita res fuit illa
A rerum genitore Deo, cùm cuncta crearet.
M. Sunt hæc digna Deo, quæ tu, puer optime, narras:
Nam ſi cauſa mali Deus eſſet, non bonus eſſet;
Si bonus omnipotens non eſſet, nec Deus eſſet.
At cum cuncta forent bona, quæ Deus optimus ille
Fecit, origo mali dic quæ fuit? *D.* Ejus origo eſt
Spirituum à Domino * defectio, prava voluntas,
Quâ nempe æquales voluerunt eſſe Tonanti.
M. † Peccatum primum fuit ergo ſuperbia. *D.* Certè;
Sed quæ aliis vitiis, incredulitati, odióque
Invidiæque ſimul conjuncta fuiſſe videtur.
M. Quænam prima fuit primorum culpa Parentum?
D. || Illa ſuperbia erat, fideíque abjectio, tótque
Inter delicias, quibus uti impunè liceret,
Arboris unius vetitæ maleſuada cupido.
Culpa adeo ut ſimplex minimè cenſenda ſit illa;
Hi ſiquidem ſimiles dum vellent cognitione
Eſſe Deo, juſſa illius violare tremenda
Sunt auſi: hinc factum eſt, ut mors intraret in orbem.
M. Dic, cur Omnipotens lapſum permiſit Adami?
D. Nempe rogans illud, facis ac ſi quærere velles,
Cur eſt factus homo? cur præditus eſt ratione?
Libera cur illi à Domino eſt conceſſa voluntas?
Cur vitæ æternæque capax fuit ille ſalutis;
Ad ventrem natæ pecudes cur non ſumus omnes?
At facti ratio conſtet ſacra Scripta legenti.
Id Deus eſſe bonum vidit permittere pravum,

Quo

* *De lapſu Angelorum.* † *Primum peccatum ſuperbia.*
|| *De lapſu primi hominis.*

Quo magis illustris foret ejus gloria. Certè
Nemo creaturam (quæ quamvis labilis esset,
Stare tamen posset, si vellet,) condere, & illam
Arbitrio proprio permittere, dixerit unquam
Non licuisse Deo; quando ipsa creatio rerum
Extet divinæ effectus bonitatis, & ejus
Emanatio quædam. Animum nunc adjice dictis.
Non peccare homini, si vellet, posse dabatur
A factore Deo; sed eidem jure negatum est,
Si vellet non posse, quidem peccare: quid ergo?
Num causa Omnipotens lapsûs erit illius? Absit:
Qui culpam in Dominum rejicit nonne impius ille?
Peccati non esse potest Deus optimus auctor,
Qui vetat, admissum pœnis punítque tremendis.
M. Dic mihi, blande puer, quare sit lapsus Adamus;
Narra, si possis, quæ tantæ causa ruinæ?
D. * Lapsus erat, quoniam non observavit Adamus
Mandatum Domini, prout debuit; altera causa
Nulla assignetur planè, quam fœdus abusus
Arbitrii proprii, quo impulsu liber ab omni
Elegit mortem, vitam sprevítque perennem.
Integer ex manibus Domini processit Adamus
Præcipuum Omnipotentis opus, sed labilis extans,
Atque sui juris cecidit peccando libenter;
Namque dolo impuri deceptæ dæmonis ille
Præbuit uxori miser aures, atque rebellis
Quem fructum jussit Dominus ne carperet, edit.
Sic auctor generis, dum legem temneret almam,
Factu perfacilem, & positam sibi ab Omnipotente
Involvit secum sua pignora cuncta reatu.
M. Justúmne est, natos propter peccata parentum
F 3 Puniri?

* *Lapsûs causa voluntatis liberæ abusus.*

Puniri? *D.* Justum est, si natis extet origo
Corrupta omnino, qualis nunc omnibus extat.
M. At teneri infantes morientes antè, Philippe,
Quam rationis habent usum, dic quomodo peccent?
D. Quamvis non peccent actu, tamen illi ut Adami
Progenies debent in terram jure redire.
Non soli auctori generis Deus optimus olim
Dixit, *Pulvis es, atque in pulverem, Adame, redibis,*
Sed cunctis etiam, qui ex ejus semine nati
Inde forent; ut jam tam naturale mori sit,
Quam nasci; hac omnes mortales lege tenemur.
M. Quomodo nostra potest dici, quæ unius Adami
Culpa fuit? *D.* Nostra est nimirum, ut publica Adamus
Persona, & nostri generis simul esset origo;
In quo nos omnes, peccavimus, ut sacra scripta
Tradunt: nonnullis hoc crimen Originis audit.
Certè naturam culpæ inde videtur habere,
Quod Deus in nobis velit hanc punire supremus:
Regula justitiæ sola est divina voluntas.
M. At Deus almus ait: *Peccans mortem morietur
Solus.* *D.* Id æterna de morte intelligo dictum.
Quam propter culpam solam infelicis Adami
Infans nemo subit; (sic fas est credere) pœna
Quam culpa illius jam quemque subire necesse est,
Non animæ mors est, absit; sed corporis hujus
Quod terra extractum terræ debetur ab illo
Tempore, quo legem Domini contempsit Adamus.
M. Ergo rei facti sumus ejus crimine. *D.* Certè,
Peccati illius contagio serpsit in omnes
Ex illo natos. Quin hinc corruptio quædam
Facta est naturæ nostræ: caligine mens est
Obruta, & evasit cunctis perversa voluntas;
Nata libido, qua mortales (nota querela est)

In

In vetita irruimus ſemper, cupimúſque negata.
Hinc mors, horrendi comites mortíſque ſecuti,
Morbi, & quæ humanam turbant diſcrimina vitam.
M. Quam gravis illa fuit primorum culpa * Parentum.
D. Culpa graviſſima erat, me judice, eo graviórque;
Quo levior tentatio erat; quo denique & ille
Viribus ad pugnandum inſtructior eſſet, & illa,
In tabulam legis peccâſſe videntur utrámque,
Ingrati in Numen, nobis duríque Parentes.
M. Conveniens naturæ ejus nil defuit ergo
Adamo. *D.* Jure id merito nos credimus: illi
Intellectus erat ſiquidem ſine nube, voluntas
Libera, & imperio rationis ſubdita rectæ.
Conditus à Domino ſic eſt, ut prorſus in illo
Vivida ſupremi luceret Patris imago.
M. Dic quænam in primis mortalibus illa ſupremi
Patris imago fuit? *D.* Mens prædita creditur eſſe
Juſtitia omnino † perfecta. *M.* An perdita Adami
Lapſu eſt. *D.* Perdita, ſed per Chriſtum reſtituenda;
Spiritus eſt ejus renovat qui pectora nobis,
Expellit vitia, & replet virtutis amore,
Infelix primus quæcunque amiſit Adamus,
Reſtituet nobis, dabit & majora Secundus.
Et velut Adami moriemur crimine cuncti,
Sic meritis Chriſti poſthac vivemus in ævum.
M. Quis fuit Evæ auctor violandi juſſa Tonantis?
D. Serpens, humani generis notiſſimus hoſtis;
Serpentem mendax, animavit ſpiritus ille
Quem Pater omnipotens cœlo dejecerat alto,
Horrendiſque ſimul tenebris damnaverat olim:
Hinc

* *Primorum parentum peccati atrocitas.* † *Dei in homine imago juſtitia perfecta.*

Hinc homini insidias struit ille, & perdere tentat;
M. Quomodo? *D.* Ad omne nefas suadendo & sollici-
Et quos ad vitium mortales impulit, illos (tando.
Accusat primus. *M.* Cur Princeps illius audit
Mundi? *D.* Nimirum quia pravis imperet idem.
At caput illius Dominus contrivit IESUS,
Destruxit regnum, & mundum moriendo redemit.
M. An JESUS * omnes homines moriendo redemit?
D. Credo ipsum immensum pretium solvisse Parenti,
Quod sat sit cunctis redimendis gentibus orbis.
Credo Deum quoque velle homines salvarier omnes,
Nolléque peccantûm mortem, illorúmque dolere
Duritiem, & miseros ad vitam sæpe vocare;
Sed multi ad vitam nolunt audire vocantem.
Credo, nec id taceam ingratus, *Quod sanguine Christi:*
Sint omnes homines hac conditione redempti,
Si credant in Christum, virtutémque sequantur.
Ergo omnes uno ore Deum laudate benignum;
Ad vitam vobis oblatum currite gentes.
M. Num Deus ad vitam quosdam † elegisse putandus,
Et reprobâsse alios ante omnia secula? *D.* Credo
Elegisse Deum priùs est quam conditus orbis
Ex sola bonitate sua, quibus ipse perennem
Det vitam, & secum in cœlis regnare per ævum.
At reprobasse quidem nullos, nisi quos perituros
Criminibus propriis animarum sciret amator.
Est scelus hunc hominum crudelem credere Patrem,
Qui bonus existens rebus dedit omnibus esse,
Nos genus humanum Natíque cruore redemit.
Desinat impietas ergo accusare benignum

Hu-

* *De Redemptione universali.* † *De Electione & Reprobatione:*

Humani generis Patrem, dum vox ſonet illa
Digna Deo, *Mortem peccantis nolo, ſed opto*
Ut convertatur potiùs, vivátque per ævum.
M. Ex Domino * vita eſt, ex nobis mors. *D.* Ita certè eſt,
Ex Domino ſolo vita eſt æterna beatis;
Verum perditio ex ſeſe eſt omni pereunti:
Mortem peccati mercedem agnoſcimus omnes;
At vitam eſſe Dei donum fateamur oportet:
Nulla quidem in nobis inventa eſt cauſa ſalutis;
Salvamur, quoniam noſtri fuit ille miſertus.
Cur hic ſit reprobus, prævíſa rebellio cauſa eſt:
Cur ille electus, ſola eſt atque unica cauſa,
Non prævíſa fides (quamvis prævíſa ſit illa)
Sed captum humanum ſuperans amor ille Tonantis.
(Mens divina homines ut lapſos intuebatur,
Cum ſimul hos elegit, & illos jure rejecit.)
An perit ergo unus? debet totum id ſibi ſoli,
Salvatúrne alter? totum pius ille ſalutem
Acceptam referat Domini miſerantis amori.
Scilicet æternæ fons eſt & origo ſalutis
Omni credenti illa bona & propenſa voluntas
Numinis erga homines, qua nos dilexit ab ævo,
In Chriſto elegit, tandem Electóſque vocavit;
Ut nos coram ipſo ſancti & ſine crimine ſimus,
Ad laudem illius qui nos ex orbe vocavit.
M. Quid Deus in nobis miſeris dilexit ab ævo?
D. Illud quod nobis olim fuit ipſe daturus:
In nobis, aut in rebus queîſcúnque creatis
Quid, niſi quod daret ipſe boni dator omnis, amaret?
M. Ergo Deus quoſdam quos novit in orbe futuros
Ingratos erga ſeipſum, ſine fine rebelles,
Ne-

* *Vita Dei donum, mors peccati merces.*

Nequitiáque omni plenos reprobavit ab ævo.
D. Sit licet id verum, tamen eſt juſtiſſimus ille,
Qui nulli errandi, pereundi cauſa nec ulli eſt:
Sola eſt cauſa malis pereundi prava voluntas.
Id peccans omnis ſecum mihi dicere viſus:
En aliud ſuadet mihi mens aliúdque libido:
Deteriora ſequor, meliora vidénſque probánſque.

M. An mortales omnes libertate fruuntur
* Arbitrii? *D.* Omnino; cum ſit me judice ſolus
Ille nocens, qui ſponte facit, quod lex vetet, & quod
Eſſe ſciat crimen, tacitè quod denique damnet:
Ille bonus, qui ſponte facit, quod lex jubet, & quod
Muneris eſſe ſui ſciat, acceptúmque Tonanti.
Scilicet, ut quidam docet, *Eſt humana voluntas*
Libera ſemper, verum eadem non eſt bona ſemper.
Eſſe voluntatis ſtat in hoc, ut libera planè
Ipſa ſit in nobis, alioquin nulla futura.
Actio moralis nulla eſt, niſi noſtra voluntas
Libera ſit prorſùs, qua demùm Electio fiat:
Et planè in rebus quæ nos penes eſſe videntur;
Rerum quæ fieri nequeunt Electio nulla eſt.
Proponens homini vitam mortémque Creator
Elige vitam, inquit, *mortem fuge, eríſque beatus.*
Qui libertatem hanc tollit, tollátque neceſſe eſt
Naturam una ex orbe boníque malíque; det eſſe
Virtutem, vitiúmque nihil, niſi nomina tantùm;
Exhortandi munus inutile, juráque vana,
Atque bonæ mentis curam omnem reddat inanem;
Denique ſpem vitæ extinguat, pœnæque timorem.
At quamvis homini ſit libera cuique voluntas,
Id

* *De Libero arbitrio, & Gratia.*

Id tamen omnis homo ingenuè fateatur oportet,
Quod nisi divinum auxilium conatibus adsit,
(*Gratia præveniens* id nobis dicitur) idem
In peccata ruat præceps, cupiátque negata.
M. Quid querimur tandem, si libertate fruamur
Arbitrii? *D.* Querimur, quod semper id omnibus unum
Velle malum nobis adsit mortalibus ægris,
Nunquam velle bonum naturæ viribus: Eheu
Tantùm est arbitrii libertas debilitata
Lapsu primi hominis. Nam postquam crimine fœdo
Se maculâsset homo, caro nostra libidinis omnis
Fit fomes, latitans hostis, malesuada, repugnans
Spiritui, & ducens nos semper ad illa patranda
Quæ sint divinæ prorsus contraria legi.
Scilicet ad vitium stat libera cuique voluntas,
Verum ad virtutem (nisi Christi gratia præsto
Adsit, agátque simul) minus inclinata voluntas,
Imo aversa nimis. Ratio licet id docet ipsa,
Non tamen est peccans liber, sed servus habendus.
M. Dic quid sit miseris faciendum carne rebelli
Oppressis? *D.* Deus est, ut opem ferat ipse, rogandus,
Nam quamvis carnis tanta est corruptio nostræ,
Hanc tamen alma Dei dat gratia vincere nobis,
Cujus vis solet in cunctis lucere renatis.
Gratia sufficiens Domini est, ea Gratia nempe (quam.
Quam precibus lachrymísque rogantibus haud neget un-
M. Nonne Deus quos vult trahit ad se? *D.* Maximè; &
Verum est, quod solos ad se trahat ille volentes; (illud
Quos ipsos idem planè facit esse volentes.
Gratia nempe Dei, quæ nostros dirigit actus,
Non libertatem tollit, sed donat ut illa
Quæ priùs ægra fuit, jam sit sanata voluntas.
Is verè est liber, quem Gratia liberat alma.

M. Ergo

M. Ergo Dei in Christo est libertus quisque fidelis.
D. Imo & qui fuerat servus, fit natus & hæres
Cum Christo illorum quæ sunt super astra bonorum,
Quæ nemo vidit, nec mens conceperit ulla.
M. Ipse futura Deum credis scire omnia. *D.* Credo;
Imo quæ non * sunt, tanquam quæ sunt videt ille;
Facta, infecta simul Deus omnia novit ab ævo.
Scire futura Deum quis non agnoverit illum,
Qui ventura suis dederit cecinisse Prophetis?
M. Si ventura Deus novit, cur dicitur Ille
Tentâsse Abramum, quasi scire volens an Abramus
Insignis pietate pater jussu illius esset
Dilecti nati tincturus sanguine dextram?
D. Credo equidem hoc ipsum rerum fecisse Parentem,
Non quod nesciret quid vir sanctissimus esset
Facturus, sed ut hac ratione fides pietásque
Abrami testata forent, & nota per orbem.
Hoc etenim facto Deus exploravit Abramum,
Invenítque fidelem, illum qui nobile seclis
Exemplar fidei foret omnibus inde futuris:
Qui fôret ille Parens, in cujus semine cunctis
Gentibus eximia gaudere salute daretur,
Tunc cum chara Dei soboles in carne veniret.
M. At quæ scit ventura Deus, nonne illa necesse est
Tempore ut eveniant? *D.* Quæ rerum Conditor unus
Ante quidem quam tempus erat scit in orbe futura,
(Si propriè dicatur ei quicquam esse futurum,
Præteritum aut quicquam, cui sint præsentia cuncta;
Intellectus enim divinus longe aliter res
Intuitur, quam nos res contemplamur easdem;
Non

* *Nec præscientia, nec decreto divino tolli Libertatem arbitrii.*

Non ut præteritas, inſtantes, atque futuras,
Sed ſimul & ſemel has conſiderat, ordinat, atque à
Principio ad finem ſapienter dirigit omnes;)
Quæ Deus omnipotens, inquam, ſcit in orbe futura,
Hæc ego conſtanter credo eventura; ſed audi
Illa futurarum divina ſcientia rerum
Non libertatem arbitrii mortalibus aufert,
Nec rerum mutat naturam, aut conditionem;
Sed res apprendit qua ſint ratione futuræ.
Omnia quæ eveniunt, & quæ contingere dicas,
In cauſis Deus illa ſuis prævidit ab ævo:
(Inter quas cauſas ipſa eſt cujuſque voluntas)
Atque adeo cunctorum hominum prævidit & acta,
Nullius arbitrio impoſita vi. Conditor orbis
Vidit abuſuros hac libertate ſceleſtos
Nonnullos; num peccati Deus ergo erit auctor,
Culpandúſve Deus, quod crimina multa patrantes
Quæ ſcirent odio eſſe Deo, periere volentes?
Permittit mala multa Deus, nulla approbat unquam.
Omnipotens idem (cui nuda & pervia cuncta)
Libertate alios uſuros vidit eadem
Pulchrè, his auxilio divino præveniente.
M. Hæc plana exemplis adductis reddere tenta.
D. En tibi verba Dei manſuris tradita libris.
Novi quod natis ſit præcepturus ABRAMUS,
Ut ſtudeant ſervare meam per ſæcula legem.
Númne ideo credam non id feciſſe volentem
(Ut decuit Sanctum, & ſimul Omnipotentis amicum)
Facturum quoniam Deus almus ſciret Abramum?
Imo ideo Omnipotens (ut ſacra oracula tradunt)
Noluit Abramum pœnas celare tremendas.
Quas ſumpturus erat demiſſo cœlitus igne
De impuris Sodomis, quoniam Deus id quoque ſciret,

Quod legem Domini ſanctam ſervaret Abramus,
Atque ſuos natos illam ſervare doceret?
Quod rex Ægypti malè tractaturus Hebræos
Eſſet, quis dicet non prævidiſſe, ſimúlque
Id fieri demum non permiſiſſe Tonantem?
At quis mentis inops adeo eſt, ut colligat inde
Ægypti regem ſcelus id patrâſſe coactum,
Id quia facturum Dominus præſciret ab ævo?
Quis neget æternum Patrem ſciviſſe futurum
Ut moreretur item Pilati crimine JESUS?
Num quis Pilatum minus id feciſſe libenter
Dicet, facturum quia & id Deus ante videret?
Prævidit Deus, & permiſit factum utriúſque;
Atque bonum elicuit ſapiens ex crimine utróque.
Nam Deus effecit, dum de Pharaone tremendas
Sumeret hinc pœnas, ex ſervitio inde Jacobi
Eriperet natos, ut divinæ bonitatis
Juſtitiæque ſimul volitaret fama per orbem.
Præſidis Auſonii crimen Deus optimus idem
Humani generis dedit inſervire ſaluti.
Nempe Dei unius eſt, ex his quæ ſunt mala prorſus
Elicere hæc quæ ſunt æternæ conſona Menti;
Et facere illud demum, ut ad ejus Majeſtatem
Declarandam res conſpirent ſuaviter omnes.
Lucet in Electis ſummi clementia Patris,
Juſtitia in reprobis, bonitas in utríſque ſtupenda:
Eſt bonitas etenim, & ſapientia Numine digna,
Tam punire malos, quam reddere præmia juſtis.
M. Dic mihi, nonne Deus fieri decrevit ab ævo
Omnia, quæ eventura forent? *D.* Decrevit. *M.* At audi,
Nonne hoc eſt fato ſimul omnia ſubdere? *D.* Non eſt,
Id niſi tu *fatum* dicas, quod nos meliore
Jure *Dei æternum decretum* dicimus. *M.* Eſto;

Si

Si decreta Deo ſint omnia, nonne videntur
Conatus noſtri vani, vaníque labores?
D. Non ; quia qui finem ſtatuit, ſtatuiſſe putandus
Et media ad finem: media inter (nec ſine cauſa)
Duco voluntates hominum. *M.* Rem planiùs illam,
Cum ſit difficilis, narra. *D.* Aio, cuncta futura
Decreviſſe Deum, ſed non uno omnia planè
Eventura modo: nam plurima legibus ille
Naturæ aſtrinxit; nonnulla ex mentibus idem
Emanare dedit, queis libera facta voluntas,
Et quibus à Domino eſt talis conceſſa facultas
(Liberè agendi illud quod agunt, (benè ſeu malè) qualis
Mentibus Angelicis, hominúmque probatur ineſſe.
* Quæ ſunt acta hominum liberrima credo proinde
Decreviſſe Deum ; & ſanê permittere prava ;
(Quæ fieri aut lege, aut naturæ voce vetaſet)
At bona non tantùm permittere, ſed ſimul illa
Perſuadere, & cum facientibus una operari.
Eveniunt cuncta, ut ſtatuit Deus ; at Deus illa
Sic ſtatuit ſimul & ſemel omnia, ut ipſe futura
Præſcivit. Si quis maculavit crimine vitam,
Nec ſe pœnituit, dum vixit in orbe; ſtatutum
Hoc, (quia non latuit ſtatuentis lumina, qualis
Peccator vel ſponte ſua miſer ille futurus
Eſſet, amans mortem, divináque viſcera temnens)
Ut peccans, emendari nolénſque periret.
E contra; ſiquis poſtquam peccavit, ab Illo
Obtinuit veniam precibus lachrymíſque ſtatutum
Id ſimul antè fuit quam mundus conditus eſſet,

* *Actiones rerum omnium creatarum eſſe vel rationalium vel irrationalium: hæc evenire neceſſariò, illas verò ſponte & libere.*

Ut veniam hic Precibus lachrymísque rogaret, & idem
A Domino facilè, quodcunque rogaret, haberet.
Certè nec præcognitio, neque Numinis ullum
Decretum in causa est, cur quisquam peccet; at una
Et sola in causa est *Peccantis prava voluntas.*
Non ideo Judas est factus proditor ipse,
Hoc quia præsciret Deus, (O procul absit ut illud
Credam!) sed quia fur & proditor ille futurus
Esset, propterea Deus hoc præscivit ab ævo.
M. Anne Deus fecit vasa iræ? an perditioni
Aptavit quosdam, tantùm quia vellet id ipsum?
D. Iræ vasa Deus non fecit, (qui patientia
Erga illa est usus multa) sed repperit esse
Ipsorum culpa jam talia reddita, vasa
Perditioni aptata quidem, sed quam sibi factis
Accersere suis, & promeruisse probentur.
Nec fecit quemquam Omnipotens, ut perderet illum,
Qui peccatoris mortem tam nolle probatur,
Quam bonus & sapiens & verax esse probetur.
M. At qui ne Judæ dedit ipsi, ut vas foret iræ,
Electum vas esse Petro dedit, & simul omni
Cui Deus æternam det vitam. *D.* Id credere fas est,
Certè vita Dei donum est, ut diximus, & mors
Peccati merces: hæc pro meritis datur, illa
Gratis. Nemo bonus naturà est, utpote Lapsi
Progenies hominis; sed solo munere Christi.
Ergo creatura est nova quisque fidelis in Illo,
Atque renatus, (ut in Baptismate) Spiritu & unda.
Scilicet ut palmes sine vite est mortuus omnis,
Sic nos absque Illo, qui vitæ spiritualis
Extat origo, mori æternúmque perire necesse est.
Quod nos scire quidem mortales attinet, hoc est:
Quod Deus ante ævum, jacta & fundamina mundi

Decrevit propriam bonitatem, justitiámque
Reddere conspicuam, in rebus quas ipse crearet.
Decrevit servare bonos, quibus id daret ipse
Esse bonos: omnis venturi præscius idem
Decrevit punire malos, queis non daret ille
Esse malos, sed qui sic essent sponte futuri.
O sapientiæ, & O diæ bonitatis Abyssus!
Hæc sunt illa quidem nullis mortalibus unquam
Perscrutanda Dei decreta æterna supremi.
Et cur nos secreta Dei scrutamur inepti
Mortales? volumus quæ sint super æthera scire,
Dum quæ præ pedibus fuerint nescimus. At illud
Esse Deo gratam virtutem novimus omnes,
Esse odio vitium: hoc fugiamus, eamque sequamur,
Fœlices, tribuente Deo, post fata futuri.
M. Improbus ergo omnis dum peccat, liber ad hoc est,
Nempe ut agat planè, vel non agat, ut volet ipse
Arbitrii proprii compos. *D.* Qui sic neget esse
Nonne auctorem rerum injuria is afficit ipsum,
Tanquam mandantem fieri à mortalibus illa
Quæ nôrit fieri non posse? Sed absit ut ullus
Cui pietas cordi est, de Numine talia credat.
Si quis det pœnas ideo quod non ea fecit,
Quæ facere haud posset, si vellet; næ miser ille
Esse potest, reus esse nequit: sed ab orbe creato
Nemo unquam peccavit, qui non tempore eodem
Non peccare quidem poterat, modo velle fuisset
Abstinuisse malo, Numénque timere supremum.
Invitus nemo malus est; nec cogitur esse
Turpis & infelix quisquam: Est sua cuique voluntas
Libera in elicitis, ut dicunt, actibus. Ergo
Credo, (nec id metuam testari sanguine fuso)
Christum (qui Bonitas ipsa est) in luce suprema

Non damnaturum, nisi qui peccàre volentes,
Liberè, & haud fato quodam delinquere facti.
M. Ergo conveniunt pulchrè Decreta Tonantis
Atque voluntatis libertas insita nobis.
D. Conveniunt pulchrè, & quam sit rerum ipse Creator
Et bonus & sapiens, uno simul ore loquuntur.
O *Solymæ*, dixit, JESUS, suspiria ducens,
Et lachrymis simul ora rigans, *Si tu modo nosses,*
Quæ tibi erant Pacem sine fine datura benignam!
Ast oculis subducta tuis nunc absconduntur.
Non hoc optàsset JESUS, si noscet ab ipsis
Si vellent etiam fieri haud potuisse; vel ullis
Decretis obstare Patris: sed amanter id ille
Optavit, quoniam vidit, potuisse rebelles,
Si vellent ipsi, meritam evasisse ruinam.
O quoties volui, dixit, *tua pignora blanda*
Colligere, ut teneros sub corpore congregat ales,
Et pennis amplexa suis fovet undique pullos!
At tu nolebas, O urbs ingrata, salutem
Oblatam temnens, & viscera multa Parentis.
M. Jam mihi, rem totam paucis comprendito verbis.
D. En perfecta Dei natura id postulat, ut pro
Consilio ipsa suo planè ordinet omnia ab ævo:
Postulat id natura hominúmque, ut qui ratione
Utitur, arbitrii quoque libertate fruatur;
Non aliter morúmve capax, legúmve futurus.
Omnia quæ faceret Deus, hæc præscivit ab ævo;
Quæ vero haud faceret, sed quæ permitteret idem
A genere humano fieri, præscivit & illa.
Et quæ præscivit Deus, hæc decrevit, ut essent.
Quæ fecit, bona sunt: quæ sunt mala, non ea fecit;
Omnia dispofuit prudens tamen ordine pulchro,
Et resonare suas fecit per secula laudes.

Qui

Qui dedit ex tenebris olim consurgere lucem,
Ex ipsis hominum pravis affectibus idem,
Optima quæ fuerint, novit producere solus,
Quicquid agunt homines, externo liberi ab omni
Impulsu faciunt: sed sic tamen ut faciant hi
Nil nisi quod Numen fieri decrevit, (eáque
Qua decuit ratione Deum, Patrémque benignum:)
Non impellendo ad peccatum, sed moderando
Arbitrium humanum, & causas quascunque secundas.
Scilicet acta hominum à rerum Genitore fatemur
Cuncta regi, verum non illi cuncta probari.
Sic hominum factis vel iniquis utitur, ut sit
Ipse expers omnis quod in illis insit iniqui.
M. Consilio non posse homines contraire Tonantis
Credis? *D.* Ita est; faciant sibi quæ contraire Supremi
Consilio ipsius videantur; at hi tamen ipsi
(Sive velint, sive id nolint,) in tempore reddent
Effectum, non est Patris mutabile summi
Consilium: sed id est ipsum quod stabit in ævum.
Certè non regeret Deus omnia in orbe, nisi idem
Humana ad certos (quos fixerat ipse priusquam
Conditus orbis erat) fines perduceret acta.
M. Ergo Electi liberè agunt, faciúntque volentes,
Quæ sunt grata Deo. *D.* Credo hoc nil certius esse;
Electis tamen ipse dedit velle & facere illa
Quæ placitura sibi, quæ est ejus *Gratia victrix.*
Cujus vis nobis non tollit, sed regit illud
Velle, quod Omnipotens in nobis ante crearat,
Majori acceptum compensans lumine lumen.
M. Cum sit vita Dei donum, dic quo ordine Numen
Quos velit, ad cœlum ducat, vitámque perennem?
D. En tibi mirandam dat Apostolus ipse Catenam.
Quos Deus omnipotens omni præscivit ab ævo

Mori-

Morigeros (vires Christo tribuente,) futuros,
Illos (quos aliàs Electos dicere possis)
Decrevit charo conformes reddere Nato,
Pro immensáque sua tandem bonitate vocare,
Justificare deinde, & sanctificare vocatos,
Denique mansuris illos donare coronis.
Sic, ut jure Deo soli tribuenda sit omnis
Gloria, si cuiquam datur obtinuisse salutem. (Absit;
M. Num cuiquam dat velle malum Deus optimus? *D.*
Quamvis velle bonum det cunctis (quotquot ubivis
Puro corde colunt pietatem,) non tamen ille
Cuiquam velle malum dat, nec potis est dare certè;
Cum bonus ipse, omnísque boni fons unicus extet.
Velle malum à nobis venit, aut à dæmone pravo:
Velle bonum lapsis miseris à Numine solo est.
Illa igitur semper sententia vera manebit;
Quod malè quis patrat id per se, sine numine patrat,
Legibus adversando Dei, & rectæ Rationi,
Et simul huic, quem quisque gerit sub pectore, testi:
Quod benè quis facit, haud facit id sine Numinis aura,
Quæ sibi nempe boni fœcundet pectus amore;
Ut Deus in nobis planè sua dona coronet.
M. Ergo boni est omnis divinus Spiritus auctor
In nobis habitans. *D.* Certè; & qui cuncta creavit
Idem corda creat nobis nova, sanctificátque
Spiritus ille Dei sanctus. *M.* Sed Spiritus almus
Ille Dei in nobis habitans, posśitne dolore
Affici ab his quibus est datus, auferríque? *D.* Quis ip-
Permultis hominum * peccatis posse dolore (sum
Affici & auferri dubitet, qui scripta revolvet
Sacra, & permultos olim virtute relicta
Naufragium fidei miseros fecisse videbit?
Nau-

* *Posse homines excidere regenerationis statu.*

Naufragium an fidei facerent, qui nullam habuerunt?
Gratia si amitti nequeat, cur stare fideles
Ipsi tot monitis in amore fidéque jubentur?
Et quorsum scriptum foret illud, *Quisque salutem*
Ipse suam ipsius metuénsque treménsque operetur?
Heu quot sacra olim qui læti luce fuerunt,
Participes doni cœlestis, postea lapsi
In peccata, & in illis ad mortem usque manentes,
Nunc positi in tenebris, & pleni horrore tremendum
Judicium Domini expectant, irámque futuram!
Ille ergo videat, qui nunc stat, ne cadat idem;
Nec sit securus nimium, quia labilis omnis
Est mortalis homo, semper vicina ruinæ
Est præsumptio, & ingenii fiducia nostri.
M. In varia ergo cadant ipsi peccata renati.
D. Omnino; auxiliante Deo, lapsíque resurgant.
M. Anne renatus qui semel est, valet ille perire?
D. Posse perire puto, si cum peccaverit idem,
Se non pœniteat peccati; si renovari
Non animo studeat, Domino neque conciliari:
Nam non qui JESUM semel est amplexus, & inde
Deseruit, sed qui JESUM constanter amavit,
Vivet; *Vincenti dabitur gestare coronam.*
M. Qui nunc dedecoris vas est, an possit honoris
Vas demum fieri? *D.* Certè; si credet in illum,
Qui nos * servavit, proprióque cruore redemit,
Qui nunc dedecoris vas est, vas fiat honoris.
Qui natura oleaster erat, Deus almus olivæ
Inseruit, ramis non parcens; quin Deus idem
Quem fortè è pingui ramum decidit olivæ

In-

* *Posse etiam ex vasibus contumeliæ fieri vasa misericordiæ.*

Inseruisse potest, ubicunque videbitur ipsi.
M. Deficere an penitus, retro lapsíque referri
* Electi possunt? *D.* Electos constat ab ævo
Esse homines aliquot, quibus Omnipotens dare vitam
In Christo statuit, constat simul Omnipotentem
Nôsse, sui qui sint omnes ab origine mundi:
(Nomina sunt illis in cœlo scripta supremo)
Hi non deficient penitus, servantur ab Illo
Qui servare potest; hi si cecidere, resurgent;
Si peccavere, in peccatis non morientur;
Gratia id efficiet Domini, qua vivimus omnes.
Quas Nato donavit oves Pater optimus, illas
Ex ejus manibus rapiet vis nulla, sed olim
Illis concedet vita gaudere perenni.
Interea Electi qui sint, † novit Deus unus.
Qui vitio indulgens Electum se putet esse,
Fallitur, & dira non longè à perditione est:
Sic se quisque fore Electum confidat, ut ipse
Pervigil, atque humilis, plenus sanctóque timore,
Hæc faciat, quæ sint Domino gratissima semper.
M. Quod Deus Electis & velle det, & facere illa
Quæ placitura sibi, dixti modo, dic mihi tandem,
Cur Deus omnipotens non velle det omnibus illa
Et facere ipsius quæ sint gratissima Menti?
D. *Causa latere potest inter secreta Tonantis*;
Esse injusta nequit. Nos certè credimus Illum
|| Gratiam eam in Christo JESU dare cuique benignè,
Qua bene si utatur, vivat regnétque per ævum:
Sin malè, peccatum & scelus admittendo libenter,
(In multis etenim frustretur Gratia Christi)
Sit

* *De Perseverantia Electorum.* † *Electi qui sint, Deum solum scire.* || *Gratiam sufficientem dari omnibus in Christo.*

Sit ſimul infelix, & inexcuſabilis idem:
Certè * hominum improbitas in cauſa eſt, cur Deus al- (mus
Gratiam eam victricem, & pectora dura domantem
Non donet cunctis, quia contempſere ſuperbi,
Quæ dona acceptant humiles: Deus optimus ille
Ut bonus eſt cunctis, ſic eſt juſtiſſimus idem.
Cum nobis agit Omnipotens, ut cum ratione
Ornatis; homines obſiſtere poſſe malignos
Spiritui ſancto, teſtatur Spiritus ipſe.
Ut nos abſque Deo ſervari haud poſſumus unquam,
Sic neve Omnipotens ſervabit nos ſine nobis.
Qui velit in cœlo æternam geſtare coronam,
Promiſſámque bonis mercedem auferre, laboret;
Cúmque ope divina ſimul ipſe operetur oportet.
Nempe ſuis ſervis non ille talenta dediſſet,
His niſi ſic uti potuiſſent, ut ſibi quiſque
Plura lucraretur, laudémque Datoris haberet.
M. Dic quid ſignificent ea, *Cujus vult miſeretur,*
Quem vult indurat? *D.* Puto ſignificare parentem
Rerum (cum nulli ſit debitor ille) benignè
His quibus ipſe velit miſereri poſſe; nec ulli
Reddere facti ejus rationem jure teneri:
Atque licere ſibi quos vult punire rebelles,
Permittendo viis propriis inſiſtere tales.
Num Deus injuſtus, ſi vel ſua viſcera pandat
Gentibus in Chriſtum credentibus, & ſimul illam
Juſtitiam, quam viva fides det ſola, ſecutis?
Vel ſi Judæos, propriam ſtabilire volentes
Juſtitiam (ſpreto divino munere) tradat
Cordi obdurato, qui Patrum more ſuorum
Semper

* *Homines impios reſiſtere Gratiæ Dei.*

Semper ei obſiſtunt, in Chriſtum credere nolunt,
Et ſæpe oblatam noſcuntur temnere vitam?
Duritiei cauſa ſuæ eſt turpiſſimus omnis,
Qui ſit judicium meritus tam triſte ſubire.
Omnipotens etenim cœli terræque Creator
Dicitur * indurare homines, quando ille profanis
Subtrahit auxilia hæc, quibus hi ſunt peſſimè abuſi;
Excœcare malos, qui nolunt cernere verum,
Lux quibus eſt odio; reprobæ quoque tradere menti
Quotquot Spiritui pergunt obſiſtere ſancto:
Ut judex faciens ingratos ſic dare pœnas.
Cæterum id ex animo credo fateórque, Quod Ille
Induret nullos, niſi qui meruere perire.
Et veluti radiis ceram diſſolvit iiſdem,
Indurátque lutum ſol aureus: haud aliter nunc
Mollia quæ reddit clementia dia bonorum
Pectora, ſæpe ſolet corda indurare malorum.
M. Ergo ſufficiens offertur Gratia cunctis
In Chriſto, at *victrix*, quæ dicitur, hæc datur unis
Electis. *D.* Illa eſt veterum ſententia Patrum;
Atque eſt omnino divinis conſona ſcriptis.
Gratia ab effectu *victrix* dicenda benigno eſt,
Quem ſit in Electis producere nota, & in illis
Qui Chriſti vocem nôrunt, illúmque ſequuntur.
Omnium enim, ut docet Electum vas illud I E S U,
Salvator Deus eſt hominum, ſed maximè eorum,
Qui credunt. JESUS pro cunctis victima factus
Eſt, & in illo uno vitam Deus omnibus offert.
Omnes invitat blandè, nullóſque repellit:
Ut qui jamdudum in tenebris jacuere profundis,
Si ſalvari optent demum ſalventur, & iram
Judicis

* *Quomodo Deus induret Homines.*

Judicis evitent justi credendo in IESUM.
Et studiosè ejus vestigia sacra premendo.
M. Anne salus nulli, nulli jam vita negatur?
D. Vivere cui libeat, nulli jam vita negatur:
Venit læta dies, atque acceptabile tempus,
In quo jam propriam (divino Numine vires
Suppeditante benignè) operetur quisque salutem.
Scilicet Effatum verum manet illud IESU,
Ad me nemo venit, nisi quem Pater attrahit ipse.
M. Ergo voluntatem Domini qui noverit, ille
Si perit, ipse suà culpâ perit? *D.* Id dubitare
Esse nefas semper duxi; mihi porrò fatendum est,
Quod si sub Legis divinæ lumine vivens
Quis perit omnino media ad vitam ille perennem
(Quæ sibi data sunt sufficientia) temnat oportet:
Qui nobis pater est, insontes plectere nescit.
M. Credere id omnino est æquum de judice mundi,
Quem non esse minus justum cunctisque benignum,
Quam patet ex sacris scripturis esse potentem.
D. Cuique talenta Deus sua tradidit, & simul id vult
Ut proventus quisque ferat, studeátque mereri
Audire hanc lætam vocem, O *bone serve, fidelem*
Te quoniam inveni, Domini jam gaudia tandem
Ingredere illa tui, fælix per secla futurus.
M. At tu quid credis de tot mortalibus olim
Qui sine * spe certâ, sine cognitione Deíque
Vixerunt, vitæque diem clausere supremam?
D. Credo salvari, qui juxta cognitionem
Cordibus inscriptam vixerunt, sed ratione
Omnino quæ sit nobis incognita; credo

 Illos

* *De salvabilitate Gentilium, qui ante Christi adventum vixerunt.*

Illos damnari, & cruciandos ignibus olim
Quotquot criminibus vitam maculâre nefandis.
Qui pulchram hanc fabricam cœli terræque videntes
Inde unum esse Deum non agnovere supremum,
Qui fecit cuncta, & sapienter cuncta gubernat:
Vel agnoscentes hunc ipsum existere in orbe,
Non illum, ut Dominum coluerunt atque Parentem.
Interea Omnipotens non se sine teste reliquit,
Dum multa ingratis, ut scimus, gentibus ille
Dona daret blandè segetem, vinúmque oleúmque,
Irriguas pluvias, & plurima commoda vitæ:
Ut planè sit inexcusabilis Ethnicus omnis,
Si malus & turpis, si fur, aut impius extet.
Lex concessa fuit naturæ his omnibus; & quam
Est violâsse nefas, & laus servâsse fuisset.
M. At cum nemo horum sine crimine vixerit unquam,
(Nam dixere bonos, non qui servare, sed illos
Qui violare minus gestatam in pectore legem,)
Nonne ergo damnandi omnes? *D.* Sunt, ni Deus illis
Concedat veniam, cujus sunt viscera multa.
Si liceat nobis horum sperare salutem,
Ob Christi unius merita id licet, illius Agni,
Qui mactatus erat (sic sacra oracula tradunt)
Ipsa prius quam jacta forent fundamina mundi.
En homines cunctos infecit crimen Adami;
Cur non ad cunctos pertingat victima Christi?
Atque proinde ad eos, (miseras intelligo gentes,)
Qui vixere prius quam Christus venit in orbem,
Et quibus ipse foret ne nomine notus IESUS,
His adhibenda modo qui secula cuncta lateret?
Nemo scire Deum neget illud, nempe quid essent
Facturi, qui præcesserunt tempora Christi,
Auribus hausissent si vitæ verba perennis;

Hostis


Hoſtis an hic fidei, evaſurus an ille fidelis?
(Nám quæ contingunt, & quæ contingere poſſint,
Scit Deus; æterna tanta eſt præſtantia mentis.
Huic patuit menti, quid facturi Tyriique
Sidoniique forent, ſi lux his orta fuiſſet,)
Ergo ſciens qualis certò eſſet quiſque futurus,
Si ſub lege ſacra vixiſſet, fortè det illis
Æternam vitam, quos noverit ipſe fuiſſe
Vitam amplexuros, ſi vita oblata fuiſſet.
Sin minus illa tibi faciunt ſatis, accipe id unum;
Queis Deus ipſe dedit leges, hos novimus omnes
Juſtè damnandos, ſtudeant niſi vivere ſanctè:
At quibus Omnipotens ſua jura negâſſe videtur,
Judicio illius (cujus mens norma ſit æqui,)
Credo relinquendos; mihi ſanè non ſapiendum eſt
Supra quam ſapuiſſe dabit mihi pagina ſacra.
Sanctos ora Dei conſtat ſine fine videre,
Verùm qua ratione Dei datur ora videre,
Nos id in hac vita voluit Deus ipſe latere;
Ut bona quæ nobis fuerint ſuper aſtra repôſta
A Patre cœleſti ſtudio majore ſequamur.
* Quæ Deus abſcondit, non inquirenda putâris;
In ſecreta Dei ſe intrudere velle ſuperbi eſt.
Neſcire eſt ſatius, quam velle id ſcire videri,
Quid neſcis. Certè eſt quædam ignorantia docta;
Multáque mortales homines neſcire neceſſe eſt.
M. Rem tetigiſſe videris acu, puer optime; namque
Reddet quiſque Deo rationem juxta ea dona
Quæ in vita accepit; non eſt exactor iniquus
Ille parens hominum, néve optat meſſem ubi nunquam
Sementem fecit: geſtat ſub pectore quiſque

* *Quæ Deus abſcondit, in ea non anxiè inquirendum.*

Hunc testem fidum, qui coram judice mundi
Illum excusabit, si imprudens quid malè fecit;
Accusabit, si fecit prudênsque sciênsque.
Credo etiam, quod cum veniet lux illa suprema,
Judice se planè damnabitur impius omnis.
Dic mihi jam tandem, si possis, Angeli an extent
A Domino * electi? *D.* Certè; qui non ceciderunt
Electos & confirmatos credimus omnes.
M. An cadere hi possent, si virtus illa Tonantis,
(Quæ quoniam immeritis confertur *Gratia* dicta est,)
Illos desereret? *D.* Ratio id, Scripturáque monstrant,
† Stare illos omnes sola virtute Tonantis:
Nempe Creatura est per se mutabilis omnis;
Omnipotens solus mutari nescius extat.
Ille parens rerum est, & ab ipso uno omnia pendent
In cœlo & terris; ille est, qui cum volet ipse
In nihilum hæc redigat, quibus ex nihilo dedit esse.
M. Quas subeunt pœnas qui peccavere? *D.* Tremendas
Nunc subeunt pœnas, passuri olim graviores,
Quando ad judicium è cœlo descendet IESUS.
M ‖ Spiritibus pravis illis spésne ulla relicta
Est veniæ? *D.* Veniæ est illis spes nulla relicta.
M. Cur? *D.* Quia nec naturam illorum accepit IESUS,
Nec pro spiritibus lapsis est mortuus. *M.* Ergo
Nulla est illorum tormentis meta futura?
D. Nulla; sed horrendas reddent per secula pœnas.

---

* *De Electione Angelorum.* † *Electos Angelos non propriis viribus, sed sola Dei gratia stare.* ‖ *Lapsos æternis suppliciis consignari.*



ΠΕΡΙ ΑΡΧΩΝ,

Sive

De Principiis Religionis Chriſtianæ,

LIBER QUARTUS.

MAGISTER, DISCIPULUS.

M. DIC mihi, quis* juſtus? *D.* Cui ſunt peccata remiſſa
Ob merita, ut Scriptura docet, ſolius IESU.
M. Dixiſti vitam JESUM poſuiſſe, Philippe,
Pro nobis miſeris, dic demum qua ratione
Hæc merita innocui nobis reputantur IESU.
D. Illa fide nobis reputantur, juſtificamur,
Atque fide in Chriſtum Patri accepti ſumus una;
Lex à Moſe data eſt, per Chriſtum Gratia venit.
Hoc fac, & vives, vox eſt notiſſima Legis:
Crede & ſalvus eris, vox Chriſti lætior extat.
Juſtitiam conſummatam Deus exigit, illa

* *De juſtificatione hominis.*

Justitia est omni credenti factus IESUS.
M. An nunc Judæum priscæ observantia * Legis
Ducat ad æternam vitam? *D.* Minimè; quia talis
Excidit, ut Paulus testatur, Gratia, & ipse
Divinam legem totam præstare tenetur;
(Si velit ipse suis ex factis justus haberi,)
Quod cum nemo quidem faciat (multo minus ille
Qui legem jactat) quis justus lege erit unquam,
Qui peccati lege sacra convincitur ipsa?
Hinc quæ olim venit, potuitve ex Lege venire,
Justitia (ut scimus) vel stercore vilior ipso,
Visa fuit sanctis, fœdisque simillima pannis.
Porrò qui in Christum (promissum Patribus olim)
Credere jam nolunt miseri, nonne omnia planè
Scripta Prophetarum conantur reddere vana?
Vana & falsa quidem, si nondum venerit Ille
Qui lux blanda foret totiùs gentibus orbis.
M. Ergo Judæus qui nunc blasphemat IESUM,
(*Messiam* verum, summi Natúmque Parentis)
Qui contra tantam lucem sua lumina claudit,
Ille malus vitæ consors nequit esse perennis.
D. Imo judicio justo damnabitur olim,
Et quas promuerit pœnas patietur in ævum.
M. Cur data Lex Mosi est? *D.* Primùm † lex tradita Mosi (est
Ut pro tempore eo vivendi Regula sanctæ
Extaret genti, juxta quam siquis Hebræus
Formaret mores, & in Illum crederet Unum,
Qui venturus erat, *Messiam*, viveret idem.
Inde, ut cognitio peccati ex Lege veniret;
Et quam viva fides mortalibus afferat, illam
Justitiam

* *Ex observantia Legis Mosaicæ justificari posse neminem.*
† *Cur Lex data sit.*

Justitiam gentes summo studio insequerentur;
Qua sola venia est homini speranda salúsque.
Nempe fide meruit Patriarcha Abramus haberi
Justus, nósque fide sumus omnes pignora Justi;
Cui pro justitia vera reputata sit olim
Viva fides, cum Lex nondum data Patribus esset:
Ut coram Domino caro nulla superbiat unquam,
Sed charitate fideque in Eum sperare salutem,
Discat, qui pro peccatis est victima factus.
Agnus nempe Dei, qui tollit crimina mundi.
M. Ergóne nil oratio, nil jejunia prosunt,
Et * benefacta nihil? *D.* Prosunt; certissima nam sunt
Vitæ signa novæ, monstrant hominémque renatum.
Et velut ex fructu facilè cognoscitur arbor,
Sic vir ex factis bonus aut malus omnis habendus.
Semper viva fides operum est fœcunda bonorum;
Qui non peccato moritur, neque vivere Christo
Ille potest, sed judicium expectare jubetur.
Et quo cuique magis Domini perspecta voluntas
Sit, nisi sedulus hanc faciat, cum possit, eo ipso
Illi judicium acrius est, graviúsque ferendum.
Qui velit esse Deo gratus, fœlíxque per ævum,
Sit pius & justus, sit denique sobrius idem;
Namque in eum finem patefacta est Gratia Christi
Omnibus, ut doceat nos vitam ducere sanctam,
Utque decet sanctos, virtutibus omnibus illis
Ornari, quibus ipsi simus lumina mundi.
Sic mihi discipulos, vos esse probabitis, inquit,
Sic eritis Patríque meo, & mihi gloriæ demum,
Si quæ mandavi facitis; si fertis abundè
Justitiæ fructum, & conjuncti sitis amore.

M. Anne

* *De bonis operibus.*

M. Anne in Christo uno fiunt quæ grata Tonanti?
D. Sic est; * virtutes peccatáque splendida dicas,
Quæ non ex Christi fiunt unius amore.
M. Numquis plus operum possit præstare bonorum,
Quam vel lege Dei sancta præstare tenetur?
D. Nemo potest; nam cum quis fecerit omnia planè,
Quæ potuit, dicat: † *Sum servus inutilis, & nil*
Feci, præterquàm Domino præstanda fuerunt.
M. || Perfectúsne potest quis in hac vita esse? *D.* Laboro
Tanquam si possim sic vivere, nil faciendo
Quod damnem, quantum possum Christúmque se-
Et mihi sufficiens est ejus Gratia sola. (quendo:
Sic mihi vivendum duco, ut qui semper in ejus
Conspectu degam, qui mundum judicet olim.
Nil conscire mihi, mihi cura est maxima semper.
At quamvis culpæ nullius conscius essem,
Non tamen inde Deo coram perfectus haberer.
Quis propriæ errores numeret vel crimina vitæ,
Quæ puer imbellis, quæ vírque, senéxque patrârit?
M. Nunquis in hac vita ¶ certus sic esse salutis
Æternæ valet, ut subsit dubitatio nulla?
D. Dum cœli hæredes in ea luctantur arena,
Spe, charitate, fide refoveri credimus omnes:
Paucis Omnipotens certos dedit esse salutis.
Quis miles dum sit, vigeátque acerrimus hostis,
Qui pugnam renovet, certus queat esse coronæ,
Id nisi signo aliquo certo Deus ipse revelet?
Omni vincenti palmam dabit indubitanter
Ille Deus, qui dat vincenti vincere posse:

Cæte-

---

* *Opera Deo grata & accepta non alia esse, quam quæ fiunt in Christo Jesu.* † *De operibus supererogationis.* || *De Perfectione.* ¶ *Num quis certus salutis suæ in hac vita esse possit?*

Cæterùm id omnis homo dum militat, oret oportet,
Da mundi illecebris me non tentarier ultra,
Quam tu certanti dederis, Deus optime, vires;
Da, Pater, adversis nunquam succumbere rebus.
Utile semper erit sanctis formidine quadam,
Quæ sit juncta Spei, Domini expectare salutem.
M. Num * meritis propriis possit quis justificari,
Si sedeat judex cœli terræque Creator?
D. Justificatum iri qui sic se speret, oportet
Nascatur sine labe omni, sine crimine vivat:
At cum nemo extet talis, nos credimus ergo
Unius Christi meritis nos justificari.
Nos omnes vitiis infecti nascimur, omnes
Vivimus in vitiis, solus sine crimine JESUS.
M. Id jamjam solida ratione, Philippe, probâsti.
Unus solvendus restat, puer optime, nodus.
En Jobus justus vir dicitur, integer, atque
Perfectus vel teste Deo: rerum ille Parentem
Et coluit, fugítque malum. *D.* Vir optimus illa
Justitia indutus, qui coram Numine staret
Supremo, nec erat, néve ipse optabat haberi;
Cum se pollutum fateatur ab ubere matris,
Et mala tot passus, quot nemo forsitan antè,
Justitiam Domini agnoscat, resecánsque capillos
Vestimenta sibi scindens, & Numen adorans
In cinere absque mora lachrymánsque gemênsque vo-
Dulces has imo depromens pectore voces: (lutet:
Nudus in hunc mundum veni, nudúsque redibo:
Ecce Deus dedit, & Deus abstulit, ut fuit ipsi
Visum; sit Domini benedictum Nomen in ævum.
M. Si non omni ex parte fuit vir justus Iobus,

Qua

* *De meritis propriis.*

Qua ratione Deo vir juſtus & integer audit?
D. Sic vir juſtus erat, ſic omnibus æquus Iobus,
Ut nihil injuſti prudenſque ſcienſque patrârit
Unquam, nec ſancto grave quiſquam impingere crimen
Poſſet, adornato multis virtutibus, illa
In primis pulchra; qua quis ſine fraude dolóve
Cuique ſuum tribuit, miſeris ſuccurrit, egenis,
Pupillis, viduis, quibus eſt vindexque parenſque:
Hoc ſenſu multi juſti, Dominóque placentes
Integritate ſua nunc ſunt, olimque fuerunt.
Tales ſunt ſancti Patriarchæ, aliíque reperti
In populo Electo, qui dum vixere fuerunt
Una Dei in terris Eccleſia, Lumina mundi.
Ergo in Scriptura, ſi quiſquam dicitur eſſe
Juſtus, ego, ut par eſt, intelligo quatenus illa
Lapſi hominis natura ferat, cui ſic meliorem
Infecit partem miſeræ contagio carnis,
Ut quamvis fugiant atrocia crimina multi,
Nemo tamen bonus eſt, nemo ſine crimine vivit.
Dicere nemo poteſt, *Sum coram Numine purus,*
Non ego judicium metuo vel Judicis orbis.
M. Num Deus hæc juſſit, fieri à mortalibus unquam,
Quæ fieri nequeunt? *D.* Non, nam qui obtemperat Almo
Spiritui ſemper, nunquam peccaverit actu.
Interea labes pravi hæret originis omni
Qui venit in mundum, ut nunc participare perenni
Non detur vita, ni accedat *Gratia Chriſti.*
Omnia complectar verbo: Pars eſt Sapientis
Legſlatoris perfectas condere leges,
Perfectum obſequiúmque requirere legibus illis.
Quod præſtent omnes, præſtandi mens quibus extet:
Eſt talis Legiſlator noſter Deus almus,
Sed longè melior, longéque potentior, ille
Auctori

Auctori generis nostri posuítque profectò
Leges omnino sanctas, jussítque benignè
Nil nisi quod præstaret Adamus, si voluisset;
Quod nos præstemus, si spernere nolumus ejus
Auxilium blandum, quod nulli credo negari
Alma Evangelii cui lux exorta sit unquam.
(De reliquis quid sit statuendum diximus, illis
Queis nunquam fuerit ne nomine notus IESUS.
Progenies omnes sumus infelicis Adami,
Per quem peccatum venit, summóque tenemur
Jure dare id totum Domino, rerúmque Parenti,
Scilicet obsequium, quod debuit ille dedisse;
Et quod præstandum mortalibus omnibus esset,
(Cum nos simus opus manuum simul illius omnes,)
Quamvis peccando nunquam cecidisset Adamus.
Exigat à nobis merito Deus optimus ergo,
Ut nos perfectam studeamus ducere vitam,
(Quod lex una Dei sancta & perfecta requirit)
Sperantes veniam, si quid peccavimus, amplam
Vímque resistendi perversis motibus hostis.
M. Num * meritis possit quis sic gaudere piorum
Qui nunc in cœlis regnant, munitus ut illis
Et veniam facilè, æternam obtineátque salutem?
D. Absit, ut hoc credam, meritis cum nemo piorum
Ipse suis vivat, meritis sed prorsus IESU.
Nam quid habet quisquam, quod non acceperit? & si
Accepit, Domino par est accepta referre.
M. Nullus Sanctorum meritis locus ergo relictus
Si pro jure suo nobiscum agat Arbiter orbis.
D. Nullus. Qui propriis meritis, meritísve piorum
Confidunt, non tantùm ingratos dixeris esse,
Sed stultos etiam, qui vitæ fonte relicto
Plena

* *De meritis Sanctorum.*

Plena foraminibus ſibi condunt vaſa miſelli,
Quæ nec aquas retinent, nec proſunt tempore mortis;
Aſt erga artifices accendunt Numinis iram.
M. Hoſtibus infenſis Chriſti crucis ora videris
Obturaſſe puer; potuiſſes addere, quod ſint
Optima Sanctorum facta imperfecta; quod omnes
Sint peccatores, qui coram Judice ſtare
Non poſſint, ni ſint muniti ſanguine Chriſti:
Hoc dum vixerunt faſſi ſunt ſæpe dolentes.
Dic mihi (cum jam ſint quos hæc dementia cepit,
Ut credant, ſi urbem Solymas ſibi contigit unquam
Vidiſſe, & ſanctum Chriſti coluiſſe ſepulchrum,
Deleri ob merita eximia hæc ſibi crimina cuncta,
Et ſe evaſuros ex illo tempore Sanctos,)
Num prodeſt animis loca ſancta inviſere? *D.* Nempe
Tantùm animis prodeſt, quantum mutati cœli
His prodeſſe ſolet, qui ſtultè trans mare currunt,
Et tempus perdunt; pejores ſæpe redire
Viſi, quam fuerint, cum conjuge fortè relictis,
Natis, & patria, Solymas inviſere primùm
Inſtituere ſacras: Solymis vixiſſe quis unquam
Laudet (quod faciat planè turpiſſimus omnis)
Sed Solymis vixiſſe benè eſt laudabile: ubique
Nobis eſſe bonis licet acceptis Tonanti.
Nec prodeſt ſanctum Chriſti coluiſſe ſepulchrum,
Sed multùm prodeſt juxta ejus vivere leges,
Peccato mundóque mori, Chriſto auxiliante,
Ad vitámque novam ſecum una exire ſepulchro.
Perfacile eſt peregrinando diſpungere vitæ
Crimina ſed nos ipſos emendare ſubinde,
Quotidie fieri meliores, ſubdere carnis
Inſanos motus, renovari denique mente
Haud facilè, hoc ſtudium poſcit, multúmque laborem.
M. Dic mihi, num cultus, quem Sanctis, Martyribúſque
Jam

Jam vita functis veteres tribuisse videntur,
Relligiosus erat? *D.* Nequaquam. *M.* Quis fuit ergo?
D. Cultus amoris erat, qualis tribuatur iisdem
In vita hac sanctis sine labe superstitionis.
M. Ut salvus quis sit, nílne indulgentia prodest
Papæ Romani? nil nummus? nílne MARIAM
Matrem JESU? & cœtum illum coluisse beatum
Sanctorum in cœlis? nil relliquias pretiosas,
Et mutas statuas venerari, ferrêque circum,
His cœcis medióque die accendisse lucernas;
Denique opem illorum precibus lachrymísque rogasse?
D. Impietas hoc est, contemptus Numinis ejus,
Qui dare divinum sibi soli jussit honorem;
Nósque fide in Christum sola sperare salutem.
Illa nempe fide, quæ fratrum gignat amorem.
Porrò quam stultum vecórsque est, hosce precari,
Qui nos an possint, cupiántve audire precantes,
Tam constare parum videas cultoribus ipsis,
Ut nihil omnino constet minus. *M.* Anne colenda est
In * tabulis Christi depicta ipsius imago?
D. Non est; namque idola coli vetuit Deus. *M.* Annon
Arbor adoranda est, in qua Deus ipse pependit;
In qua passus erat? *D.* Non fas est arbori honorem
Hunc dare, qui soli Christo debetur; & illam
Credere, (siqua sacræ pars arboris illius extet)
Spiritibus per sese obsistere posse malignis:
In Christo JESU nostra est fiducia solo,
In cruce cui placuit nostros perferre dolores.
Imo sacrum lignum si nunc extaret, & illud
Pro idolo coleret populus, me judice, tolli
Deberet, sicut Serpens, qui creditur Almæ
Esse typus Crucis, est sublatus aheneus olim,

* *De cultu imaginis Christi,* &c.

Posteaquam idolum fieret populo. *M.* Anne beati
* Angeli adorandi nobis, precibúsque rogandi,
Ut Mediatorum munus dignentur obire (magna
Pro nobis apud Omnipotentem? *D.* Est hoc quoque
Impietas; quoniam inter nos Numénque supremum
Unicus in cœlis extet Mediator, IESUS.
M. Ad reges terræ per amicos optimè aditur;
Cur non ad cœli regem? *D.* Quia nempe ministris
Per quos ad reges accessus detur, opus sit:
At nunc sat constat, nullis opus esse ministris
Per quos accessus pateat mortalibus ægris
Ad cœli Regem, gaudentem hoc nomine, Quod sit
Is qui vota precésque exaudiat omnium ubique.
Vir foret ingratus, qui regem jussus adire
Per Natum, hunc ipsum per servos mallet adire;
Porrò audire preces, fessis succurrere rebus,
(Siqua fides scriptis sacris) est Numinis illa
Gloria supremi, quem non dabit alteri in ævum:
Orandus Deus est solus, solúsque colendus;
Omnium enim exaudire preces valet, omnibus atque
Ferre in tempore opem in Domino sperantibus uno.
M. Qui mihi sit vitæ custos datus à Patre summo,
(Mì siquidem fuerit talis datus) Angelus, éstne hunc
Crimen adorare? *D.* Est; quia res sunt nempe creatæ
Angeli, & hoc ipso creduntur fine creati,
Non ut adorentur sanctis, sed ut hisce ministrent:
Et super astra Dei celebrent in secula laudes.
Sunt hi † conservi nostrì, graviterque ferentes
Hunc sibi deferri cultum à mortalibus ullis
Quem nôrunt soli deberi jure Tonanti.
M. Num flammis purgari animas post funera credis?
D. Credo

* *De cultu & adoratione Angelorum.* † *Angeli conservi nostri.*

D. Credo illas solo * purgari sanguine Christi;
Et sanè in vita hac: post fata remissio nulla est.
Credo animas hominum simul ac sua corpora linquunt
Vel recipi in cœlum, vel sæva in tartara trudi:
Nec medium his extare locum, sed vivere mentes
Justorum semper, reliquas tormenta subire.
Quæ impuræ hinc abeunt, non purgabuntur in ævum:
In quocunque statu te mors deprendet, in illo
Fœlix, infœlíxve per omnia secla manebis.
M. Non credis justos pœnas post fata subire.
D. Non credo; quoniam queis culpa remittitur, illis
In Christo constat pœnam quoque jure remitti.
Ille est, qui nostros tulit omnes sponte dolores,
Ille satisfecit plenè, mortémque subegit,
Pro nobis Λύτρον, pro nobis victima factus.
Queis Deus illius causa peccata remisit,
Illis blanda quies mors est, finísque laborum.
Exigi ab his pœnas post mortem, qui putat, idem
Detrahit & Christi meritis, temnítque cruorem
Illum quo nobis perfecta redemptio facta,
Parta æterna salus, & pax simul alma reducta est.
M. At cur pro vita † functis Ecclesia prisca
Orabat? D. Non quod non crederet esse beatos,
Qui cum Christo essent post mortem in lumine blando;
(Orabat siquidem pro sanctis omnibus illa,
Pro Genitrice Dei, pro Confessoríbus, & pro
Ipsis Martyribus,) sed ut hac ratione fidémque,
Spémque suam de conservis ostenderet, atque
Erga etiam defunctos testaretur amorem.
M. Roma expurgandis animis cur prædicat ignem?
D. Ut sibi divitias totius compararet orbis:

* *De Igne Purgatorio.* † *De precibus pro vita functis.*

Indulgere hominum vitiis, mulctare crumenas,
Decipere hos qui decipi amant urbs impia gaudet.
M. Quis docuit Romam sævis post funera flammis
Expurgari animas? *D.* Illud docuere poetæ,
Atque Plato sapiens, aliique Platona secuti:
Hinc Romæ impositum est. En illius ignis origo;
Articulus fidei fit putida fabula Romæ;
Fabula, sed quæ multum inserviit accumulandis
Divitiis, (dulce est Romanis omne lucellum)
Nil hoc igne sacro Romæ plus attulit auri.
M. Si defunctorum status immutabilis extet,
Nil juvat omnino pro animis hac luce carentûm
Jam fudisse preces. *D.* Animas ego luce carentûm
Vivorum precibus nequicquam credo juvari:
At facere illum credo suam rem, & vendere ventum,
Qui mercede preces conductus fundit inanes.

M. Dicis quod mandata Dei servare studebis:
Quæ sunt illa Dei mandata, & quot simul ede?
D. Illa decem in scriptis sacris memorantur, & hæc sunt:

I.

* SUM DEUS OMNIPOTENS, COELI TERRÆQ; (CREATOR.
NON ERIT OMNINO TIBI PRÆTER ME DEUS (ALTER.

II.

NON SIMULACHRA COLES, NEC ME SUB IMA- (GINE PINGES:
DEDECORAT SUMMUM QUI TENTET PIN- (GERE NUMEN.

III.

---

* *Decalogus.*

III.

NON FRUSTRA SUMES SANCTUM DOMINI-
(QUE DEIQUE
NOMEN IN ORE TUO: QUI FECERIT HAUD
(ERIT INSONS.

IV.

SUNT TIBI, DUM VIVAS, MEA SABBTHA SA-
(CRA COLENDA.

V.

SI VENERARE DEUM, FAC UT VENERERE PA-
(RENTES:
UT SIS LONGÆVUS, VITAM DUCASQUE BE-
(ATAM.

VI.

INNOCUO MACULARE TUAM FUGE SAN-
(GUINE DEXTRAM.

VII.

TU NEC ADULTER ERIS: TIBI SINT CONNU-
(BIA SANCTA.

VIII.

NON FURTUM FACIES: NEC CONSORS FU-
(RIBUS ESTO.

IX.

MENTIRI NOLI; NON CORAM JUDICE FAL-
(SUS
TESTIS ERIS: FALSOS TESTES DEUS ODIT,
ET ARCET.

X.

NON TE VICINI FUNDI, NEC CONJUGIS UN-
(QUAM,
NEC FAMULI ILLIUS CAPIET MALESUADA
(CUPIDO.

M. Num * præcepta, puer, ſunt quædam tradita Noæ
Quæ non in libris Moſis ſunt ſcripta? *D.* Magiſtri
Affirmare ſolent, ſeptémque fuiſſe: ſed illud
Dicere non auſim: certè quæ tradita Noæ
Hebræi dicunt, nec conſignata libellis,
Illa aliis verbis, ſed ſenſu prorſus eodem
Extant in ſacro conſcripta volumine Moſis.
Imo naturæ, quæ una eſt dux gentibus olim,
Si pauca excipias, poſſunt dictata videri.
M. Num Deus humanis inſcripſit cordibus æqui
Notitiámque boni? *D.* Docet illud Apoſtolus ipſe:
Qui negat, ille Deum planè neget eſſe; ſed idem
A proprio poſſit tandem *Conſcire* refelli.
M. Ad legem Moſis redeamus, & inclyta ſcripta.
Anne aliud lex ſcripta jubet, quam quod jubet ipſa
Lex naturæ? *D.* Equidem ſcriptæ pars maxima legis
Eſt lex naturæ; mores jubet utraque honeſtos
Sanctè obſervari; legi Deus auctor utrique eſt:
Verum ſinceræ pietatis ab omnibus, atque
Juſtitiæ majus ſtudium lex ſcripta requirit,
Quam quod naturæ lex eſt præſcribere viſa.
Juſta & honeſta docet facienda id amabile lumen
Naturæ, *Ratio*; contrariáque his fugienda:
At facta ad rectum ſua dirigit omnia finem
Nemo, niſi cui ſit notus Deus Optimus unus:
Denique promittit lex ſcripta hæc præmia juſtis,
Hæc tormenta malis minitatur, lumine ſolo
Quæ vix naturæ cognoſci poſſe videntur.
M. Sabbatha quæ ſpectant, puer, & ſimul omnia He-
Quæ varios ritus tradunt, umbræque fuerunt (bræis
Chriſti venturi, partæque ſalutis ab illo,

Illáne

* *De ſeptem præceptis filiis Noæ datis.*

Illáne naturæ legis pars ulla fuerunt?
D. Non; namque hæc ſuperant naturæ debile lumen;
Hiſque patent ſolis, quibus hæc Deus ipſe revelet.
M. Annon naturæ vox illa ipſius habenda eſt,
NON ALII ID FACIES, FIERI QUOD NON TIBI (VELLES?
D. Naturæ ipſius vox certe eſt illa jubentis,
Omnibus id fieri quod juſtum, quódque ſit æquum.
M. Dic mihi, quid juſtum, quid, blande Philippe, ſit (æquum?
D. Scilicet id juſtum eſt, quod ſcripta lege ſtatutum;
Æquum eſt, quod legem, ſi paulo durior extet,
Temperat, & vetat, (illius moderando rigorem,)
Jus fieri Summum ne ſumma injuria fiat.
Non tam literulam legis vir reſpicit æquus,
Quam mentem Legiſlatoris. *M.* Quanta, Philippe, eſt
Tam pulchrè reſpondentem te audire voluptas!
Nunc * Mandatorum, puer optime, da mihi Summam.
D. Hæc Mandatorum ſtat Chriſto judice Summa.
Nempe *Deum toto, dum vivas, dilige corde;*
Diligeque ut teipſum, quiſquis tibi Proximus audit.
Denique ſanctus eris, quoniam Deus eſt tibi ſanctus,
Scrutator renum & cordis, mundi arbiter: ergo
Tu magis eſſe pius memor eſto, quam eſſe videri.
M. Aſt ego ſcire velim, Quis ſit mihi Proximus? *D.* Ille
Cui ſit communis tecum natura, ſimúlque
Cui bene tu facias, cui denique (ſit licet hoſtis)
Utilis eſſe tibi poſſit, tibi Proximus eſto.
M. Ergo eſt omnis homo mihi Proximus. *D.* Omnis. *M.* (AMORQUE EST
TOTIUS LEGIS COMPLETIO. *D.* Apoſtolus ipſe
Id docet, & fidei monſtrat præcellere ſummæ.

Quamvis,

* *Summa Mandatorum.*

Quamvis, ait, *faciam miracula plurima, & ausim*
Vel montes removere, sciam ventura per orbem,
Omnia complectar mysteria mente, hominésque
Omnes dicendo vincam; si ferveat ira
Mens mihi, sum factus resonanti vanior ære.
Imo pauperibus quamvis mea dem refovendis.
Omnia, & (O dictu mirabile,) corpora flammis
Pro Christo tradam, nil profecisse videbor,
Si invidia excrucier, fraterno odióve laborem.
M. Num Moses hostes odio præcepit haberi?
D. Non id præcepit Moses; docuere Magistri
Id veteres, verbis divini Mosis abusi;
Quinimo his Moses mandat prodesse, juvare,
Et meminisse omnes homines nos esse; profectò
Non ad perniciem natos, sed ad utilitatem
Mutuam, id omnino naturæ voce docente.
At nunc illa novæ est perfectio legis, amare
Non modo munificos, & amicos, sed simul ipsos
Hostes, & qui nos oderunt, perquesequuntur,
Exemplo Christi, qui sic ipsius amavit
Hostes, ut pro illis vitam quoque poneret idem.
Exemplóque Patris summi, qui surgere solem
Perversísque bonísque facit, discrimine nullo
Justis, injustísque simul rigat imbribus agros.
En Deus ipse amor est, & delectatur amore.
Qui velit esse Deo similis, patríque placere
Cœlesti, ut par est, divinum imitetur amorem;
Omnibus exoptet pro viribus utilis esse.
Sunt homines ideo nati, sibi ut auxilientur
Invicem; enimvero ceu corporis unius omnes
Membra sumus, fini huic à rerum auctore creati,
Alter ut alterius curam gerat. Utque videre est,
Corpore in humano fieri, gaudéntque doléntque
Membra

Membra simul: sic nos ut corporis unius ejus
Membra, decet gaudere simúlque, simúlque dolere.
M. Blande puer, nôsti tibi vires desore ab ipsa
Natura, quibus hæc serves mandata verenda;
Nec te posse Deo obsequium præstare fidele,
Adsit ni præsens ejus tibi Gratia victrix,
Quam precibus fusis te sæpe rogare necesse est.
D. Vera refers; & cum per nos nil possumus ipsi,
Ille Dei sine labe Agnus, Salvator & orbis
Quem Deus electo populo dedit esse Magistrum,
His verbis docuit me compellare Parentem;
Nec dubitare preces quin nostras audiat idem.
ALME * PARENS HOMINUM, QUI COELUM (NUMINE COMPLES,
SANCTIFICETUR IN ORBE TUUM VENERABILE NOMEN.
ADVENIAT, DEUS ALME, BONIS OPTABILE REGNUM;
O SIC IN TERRIS FIAT TUA SACRA VOLUN(TAS,
ILLA UT FIT SUPRA FLAMMANTIA SIDERA (COELI:
TU NOBIS HODIE PANEM DA QUOTIDIANUM;
DEBITA SIC NOBIS, PECCATAQUE NOSTRA (REMITTE,
FRATRIBUS UT NOSTRIS VENIAM CONCEDI(MUS IPSI.
NEC SUPRA VIRES TENTARI NOS SINE (NOSTRAS.
SIT

* *Oratio dominica.*

SIT PROCUL OMNE MALVM; PECCATI SIT (PROCUL AUCTOR;
NAM SINE FINE TIBI REGNUM EST, IMMENSA (POTESTAS;
GLORIA IN EXCELSIS TIBI PERMANSURA (PER ÆVUM.

M. Narra, quæ verbis illis ſubjecit IESUS.
D. Subjeciſſe ferunt hæc verba, ut quam ſcelus eſſet
Horrendum fratres noſtros odiſſe doceret:
Fruſtra, inquit, *veniam à ſummo petet ille Parente,*
Qui fratri ex animo veniam haud conceſſerit ipſe.
M. An liceat nobis à Numine plura rogare?
D. Sic eſt; ſi formæ huic ſint conſona, ſancta, & honeſta:
A Patre cœleſti non ſunt niſi honeſta petenda;
Atque hæc, (ſi tantùm præſentis commoda vitæ
Spectent) non aliter, quam ut convenientia nobis,
Proquefutura quidem ſapiens Deus ipſe videbit.
M. * Pro quibus orandum ſit nobis dicito. *D.* Certè
Orandum in primis nobis pro Regibus orbis,
Principibuſque viris, qui ſunt tutela bonorum,
Et Patres patriæ dicuntur, nempe ſub illis
Ut liceat nobis tranquillam ducere vitam.
Pro Chriſti famulis orandum eſt, ut ſimul omnes
Semper amicitiam inter ſe coluiſſe beatam,
Et ſtudeant vitam vivendo effingere Chriſti.
Orandum eſt etiam pro inimicis ut malè ceſſent
Tandem agere inque viam redeant, faciántque benigno
Quæ placitura Deo, æternam inveniántque ſalutem.
Denique pro cunctis orandum precipue illis
Qui mala amore Dei patiuntur multa per orbem;
Nam ſic, quæ fratres patiuntur, nos ſimul illa
Tan-

* *Pro quibus orandum ſit.*

Tangere, & illorum nos vivida membra fatemur.
M. Qui velit à Domino exaudiri, quis ſit oportet?
D. Præditus ille Dei magno ſit amore fidéque.
In Dominum JESUM, fratrum ſit amánſque ſuorum;
Mente oraturus ſit pura, nam Deus aures
Non præbet precibus quas fuderit impius unquam,
Vel qui animi dubius, vel cui mens æſtuat irâ.
Nec Deus hunc audit, qui ſe per luce carentes
Optet adire miſer, quem unius nomine JESU
Fas ſit adire: Dei dilectus Filius ille eſt;
Quisquis adit Patrem cœleſtem nomine JESU,
Hunc Pater audit, nec triſtem permittit abire.
M. At cum cuncta ſciat Deus, & cum nos amet idem,
Fáſne illum votis precibúſque laceſſere nobis?
D. Omnino; quoniam precibus fiducia noſtra
In ſe nota ſit omnibus, ipſum qui jubet omnes
Ut precibus ſanctis adeant, & laudibus ornent.
M. Præbétne Omnipotens inhoneſta rogantibus aures?
D. Non audit Deus omnipotens inhoneſta rogantes:
Sed tales, cum ſit ſanctiſſimus odit & arcet.
M. Dic, cur non ſemper Deus audit * honeſta rogantes?
D. Non audit ſemper, vel quod ſine amore fidéque;
Vel quod honeſta quidem, at nobis nocitura rogamus:
Plus nos Numen amat, quam quiſquam ſeſe amet ip-
Ille Parens noſter, ſumus illi nos quoque curæ; (ſum.
Ille quod expediat nobis videt, atque dabit, ſi
Nos & res noſtras ipſi committimus uni.
Ergo hinc diſcamus patienter ferre repulſam,
Ex animoque Deo grates perſolvere dignas,
Quod vellet nobis nocitura negare benignè.
Denique diſcamus, Deus eſt ſi quando rogandus

A

* *Cur Deus ſanctorum preces non ſemper audiat?*

A nobis, precibus noſtris hæc addere verba:
Non quod nos volumus, ſed quod tu vis, Deus alme,
Id fiat justi norma eſt tua ſacra voluntas.
Nam vel quod petimus Deus id concedet amanter,
Vel quod is utilius nobis cognoverit eſſe.
Qui nos formavit, Natíque cruore redemit,
Quis putet hunc nobis non optima quæque daturum?
Quinetiam in cauſa cur nos non protinus audit,
Nec ſtatim precibus noſtris Deus annuit hoc eſt:
Quod velit enixis precibus contendere ſanctos,
Néve fatigari: nil non oratio vincat
Viva armata fide; hæc ignem deducere cœlo,
Hæc montes removere poteſt, hæc dæmonas arcet;
Et facit ex hominum miſerorum excedere membris.
M. An Deus ille preces bonus audit ubique locorum?
D. Audit ubique preces; & quamvis Omnipotenti
Regia ſit cœlum, pietas tamen huic ſtatuiſſe
Templa fuit; gaudet Templis habitare; ſed idem
Mentis amat ſanctos ante omnia templa receſſus;
Ante aurum & gemmas rutilantes, ante hecatomben
Candida magnifico placuerunt vota Tonanti.
M. An privata Deo, an communia vota piorum
Sunt accepta magis? *D.* Sunt hæc, ſunt illa ſupremo
Patri accepta; ſed unita eſt vis fortior omnis.
M. Nunc te qua poſſis ratione placere Tonanti,
Illius & ſemper gaudere favore, docebo.
* *Vive pius, cole juſtitiam, (ut lex præcipit alma,)*
Verbis & factis, tribuens quæ ſunt ſua cuique:
Nam juſtos amat Omnipotens, atque odit iniquos:
E ſtratis ſurgens primum venerare Parentem

Nil

* *Regulæ generales & breviſſimæ ad benè beatéque vivendum.*

Rerum: deinde die quæ tu facturus es illa
Singula perpendens ad legum dirige normam.
Scripta Dei legito, meditaréque nocte diéque:
In scriptis his tota patet divina voluntas.
Nil prius aggreditor, quam supplex ipse rogâsti,
Numen ut inceptis simul adsit, & auxilietur.
Pone modum ventri, carni indulgere caveto;
Namque intemperies multis nocuisse probatur.
Sperne voluptates nocituras: sobrius esto
Prudens innocuúsque; nec unquam feceris illud
Quod lædat Conscire tuum; *pro millibus esto*
Testibus ipse tibi solus: nec id utile duces
Quod sit turpe geri, sed rerum respice finem.
Fac quantum potes, ut de te malè nemo loquatur
Justè: contemnens stolidæ convicia linguæ:
Fama illæsa fuit quondam pretiosior auro;
Fama amissa semel nulla est reparabilis arte.
Desidiam, quæ sit multorum causa malorum,
Ceu pestem fugito, & duro te assuesce labori.
Præmeditare priùs, quam quicquam dicere tentes;
Atque audire quidem, quam dicere promptior esto.
Opportuna loqui, & linguam frænare studeto;
Nec commissa tibi quæ sint arcana revela.
Quam spartam nactus sis, orna; nec te alienis
Immisce (si vis jucundè vivere) rebus.
Justos atque pios opta tibi habere sodales:
Et fuge, quoad possis, consortia fœda malorum.
Non cuivis homini confide, sed elige amicum
Hunc, tibi qui fuerit multúmque diúque probatus.
Utile præceptum duc illud Γνῶθι σεαυτόν:
Nec des, si sapias, assentatoribus aures.
Fac mens immodica tibi nunquam ferveat ira;
Sed cunctis semper placabilis esto, quibus-cum

Unà versaris comis simul & gravis idem,
Quæ res multorum tibi conciliabit amorem.
Absque gravi causa noli jurare, sed omnem
Sic vitam institue, ut, si illud fieri queat, ipsa
Vim juramenti obtineant tua verba apud omnes
Queis notus fueris (datus ingens ille honor olim
Insigni probitate viris, donec fuit alma
Omnibus in pretio rerum pulcherrima virtus.)
Si promisisti, quamvis tibi sint nocitura,
Fac stes promissis, Numénque verere supremum.
Omnibus esto bonus, miseris succurre libenter.
Fac bene dum possis, tempus differre caveto;
Novit enim nemo mortalis quid ferat hora.
Esto humili corde, obsistit Deus ipse superbis:
Mitibus ingeniis confert sua dona benignè.
Contentus sis sorte tua, quæcunque sit illa;
Nec paupertatem, nec opes, puer optime, magnas,
Sed quæ sufficiant, & quæ natura requirat
Corporis atque animi recreandis viribus, opta.
Nec tu, si sapias, alieno oneraberis ære:
Qui plus quam par est, debet, servire necesse est.
Æquo animo mala disce pati: Leviora ferendo
Fient. Redde Deo, cui debes omnia, grates.
Illud quotidie summo contende labore,
Ut melior fias, & charior Omnipotenti:
Néve bonæ mentis, dum vivas, abjice curam.
Tu peccata cave temnas leviora, Philippe;
Qui levia admittit prudens, graviora patrabit.
Vespere præteritæ reputabis facta diei:
Quid bene, dic, hodie feci? quid non? quid omisi
Implevisse mei quod muneris esset? ut inde
Si malè fecisti, doleas veniámque preceris:
Si bene, lætere, & facti des Numini honorem.

Et

Et brevis ævi, & judicii memor esto futuri.
Despice terrena; & cum sit tibi patria cælum,
Sola ingenti animo quæ sint cælestia quære.
Hæc præcepta tuo sub pectore conde, futurus
Auxiliante Deo, si feceris illa, beatus.
Interea imploranda tibi est divina, Philippe,
Gratia, qua possis Patri placuisse supremo.
D. Assiduè imploranda mihi est; Tu dumque precaris,
Præceptor venerande, tui memor esto Philippi.





ΠΕΡΙ ΑΡΧΩΝ,

Sive

De Principiis Religionis Chriſtianæ,

LIBER QUINTUS.

MAGISTER, DISCIPULUS.

M. QUOD ſit Catholica in terris * Ec-
(cleſia, caſta
Chriſti Sponſa, parens Sanctorum
(credis. *D.* Id ipſum
Credo. *M.* Atque hoc tecum credit
(bonus omnis: At illam
Qua ratione mihi detur dignoſcere? *D.* † Signa
Catholicæ, hæc tibi erunt; Fidei confeſſio veræ,
(Vera fides ſola eſt, quæ ſcriptis conſona ſacris,)
Verbi ex præſcripto Domini præconium, & uſus
Horum legitimus, quæ Sacramenta vocantur.
Et pietas, & amor fratrum, & patientia multa.
Sunt & Apoſtaticæ his || ſignis contraria ſigna:

Falſa

---

* *De Eccleſia.* † *Notæ Eccleſiæ veræ.* || *Notæ item Antichriſtianæ.*

Falsa & vana fides, divinis dissona scriptis,
Multæ imposturæ, verbi corruptio sacri,
Imprimis Sacramentorum fœdus abusus,
Hæreticus furor, impietas, odiúmque bonorum.
M. * Catholicam si signa notent, quæ tu posuisti,
(Credóque Catholicæ signa esse,) Ecclesia certè
Quæ Romana audit, nec Catholica esse videtur,
Nec pars Catholicæ firma & sincera; sed illi
Omnia Apostaticæ quadrant infamia signa.
D. Sic est; Roma tamen jam nomine vana superbit
Catholicæ, cum sit fidei hostis sæva vetustæ,
Hortatrix scelerum, & verè spelunca latronum.
Catholica illa est, quæ in totum diffunditur orbem;
Ut quamvis esset, velut olim est, Roma pudica,
Et fidei cultrix ejus quæ tradita sanctis,
Catholica haud tamen una foret, nam quis nisi demens
Una omnes gentes concluderet orbis in urbe?
M. Ergo Catholicæ Successio Præsulum ab ipso
Sæculo Apostolico signum non esse videtur.
D. Non; nisi doctrinæ accedat † successio veræ.
Quid prodest Petri successor in orbe vocari,
Hæreticus si sit Petri successor, & exlex?
M. Dic, precor, || hæreticus quis sit? *D.* Non quilibet
Sed qui mente mala fidei contraria sanæ (errans,
Dogmata propugnat, monitúsque revertere temnit;
Ille est Hæreticus, quem vitet turba piorum. (tur?
M. Dic demum hæresiôn quæ causæ, atque unde orian-
D. Cunctarum hæresiôn prope sola superbia causa est:
Quinetiam carni permittere fræna rebelli,

 In-

* *Ecclesiam Romanam nec Catholicam esse, nec partem sinceram Catholicæ.* † *Successionem personarum nihil valere, nisi accedat Successio doctrinæ.* || *Hæreticus quis sit?*

Indulgere ſimul vitiis amat hæreſis omnis.
M. Extra Catholicæ fines ſpéſne ulla ſalutis?
D. Nulla eſt; * extra illam quia nempe eſt nemo ſalutem
Qui ferat; illius Noæ fuit arca figura,
Extra quam quot erant homines periere ſub undis.
Martyris eximii vox eſt, *Deus huic Pater*, inquit,
Eſſe nequit, cui non ſit Sancta Eccleſia mater.
M. Sin vitam Hæreticus pro Chriſto ponat, an ille
Salvus eris? *D.* Minimè; nam qui ſit lapſus in atram
Hæreſin, & careat fraterno durus amore,
Nec ſanæ menti reddatur, ponere vitam
Illum poſſe puto, non poſſe auferre coronam:
Martyra quod faciat, cauſa eſt, non paſſio ſola.
M. Qua fratres ratione ſuos odiſſe probetur
Hæreticus? *D.* Qui avertit eos à religione
Vera, atque in partes varias hos dividit, odit;
Hoſti perfacilem tentat quoque reddere prædam.
M. Catholicæ quiſnam † caput extat? *D.* Solus IESUS,
Qui fidei eſt auctor, conſummatórque ſalutis.
M. Dic mihi, Paſtores habeátne Eccleſia? *D.* Certè,
Et ſine legitimis Paſtoribus integra non eſt:
Præſulibus ſubjecta ſuis Eccleſia ſancta eſt:
Nec magis his ipſis careat, quam corpus ocellis,
Nauclero navis, careátve hoc lumine mundus.
M. Dic cujus munus ſit conſtituiſſe || Miniſtros
Verbi, quos Patres Eccleſia nominat Alma,
Paſtoréſque ſuos? *D.* Dat Sanctus Spiritus ipſe
Paſtores populo, (cujus ſunt plurima dona)
Impoſitis manibus, fuſis precibúſque virorum,

Verbum

---

* *Extra Catholicam Eccleſiam non eſſe ſalutem.* † *Caput Eccleſiæ Catholicæ eſſe unum Chriſtum.* || *De Miniſterio Eccleſiaſtico.*

Verbum evulgandi quibus est concessa potestas.
M. Nemón' hunc capiat, nisi qui sit missus, honorem?
D. Nemo; quia illius sacri est Deus ordinis auctor,
Quem sic servari in mundo per secula jussit.
M. Ordo viris quotuplex est his qui altaribus adstant?
D. His ordo est * triplex; & sanè est primus eorum
Qui propriè populi dicuntur Episcopi; hic ordo
Præcellit reliquis; est alter Presbyterorum;
Infimus hos sequitur sacratorum ordo virorum,
Pauperibus primi quos constituere Ministros
Sacri Duodeni, miserorum assistere mensis
Jussos, ante omnes viduis impendere curam:
Illis temporibus tanta pietate, fidéque
Discipuli Christi, ceu lumina in orbe vigebant.
M. Verum Presbyteríque & Episcopi Apostolus ipse
Nonne videtur nominibus communiter usus,
Tanquam si illis rem unam & eandem significaret?
D. Sic est; nominibus tamen illis sæpius idem
Quæ longè diversa forent duo munia signat;
Namque illi qui Presbyter esset, Episcopus audit,
Sæpéque Presbyter is, qui propriè Episcopus esset.
M. Fusius illa mihi res enarranda videtur.
D. Principio dicti videantur † Episcopi, & unà
Presbyteri communiter omnes quotquot ubivis
Pastores essent populi, verbíque Ministri:
At Domini socii cum scirent post sua fata
De pastorali venturas culmine lites,
Nec paritate Ministrorum consistere sacram
Posse diu pacem, divino Numine pleni

Hos

---

* *De triplice ordine Ministrorum in Ecclesia, nempe* Episcoporum, Presbyterorum, *&* Diaconorum. † *De Apostolica Episcoporum institutione.*

Hos Succeſſores ſibi conſtituere per orbem,
Presbyteris reliquis qui jure deinde præeſſent:
Atque obeuntibus his alios per ſecla fideles,
Prudentéſque viros ad Paſtorale vocarent
Munus, qui populum Chriſti mandata docerent,
Officiíque ſui blandè quoſcunque monerent;
Deníque cenſuris, ſi commeruere, notarent.
Hinc uſu venit (ſanctis viventibus illis,
Qui Chriſti fuerant teſtes, comitéſque laborum,)
Ut quod ſecum aliis nomen commune fuiſſet,
His proprium fieret, quibus illa eſt facta poteſtas;
Et ſoli merito ſuo Epiſcopi ubique, Patréſque
Audirent tandem Clero, populóque fideli,
Urbes Metropoles viſi plerúmque habitare.
M. Ergo Præſulibus communia nomina quondam
Presbyteríſque fuere, ſed illis munia multùm
Diverſa? *D.* Omnino; quia ſolus Epiſcopus ille
Dicitur (& meritò) qui munus ad hocce vocatur.
Ut præſit reliquis, pœníſque emendet inertes.
De re, non de nomine controverſia tota eſt.
(Presbyter ætatis, nota honoris Epiſcopus extat,)
Sæpius imponi communia nomina ſacris
Officiis variis conſtat, cum Presbyterum ſe
Nominet in ſcriptis dilectus Apoſtolus ipſe.
Atqui Presbytero quin major Apoſtolus omni
Joannes eſſet, nemo dubitaverit unquam.
Quin multi proceres Eccleſiæ Apoſtoli in ipſis
Sacris dicuntur ſcriptis, quos nemo profectò
Diſcipulis Domini æquales putet inde fuiſſe;
Sed longè inferiores officióque & honore:
Siqua fides veterum ſcriptis ſit habenda virorum,
Ille ſimul noſtro qui tempore Epiſcopus audit,
Temporibus priſcis eſt dictus Apoſtolus idem.

Verum

Verum Presbytero quin major Episcopus extet
(Nimirum propriè sic dictus, qualis ab ipso
Tempore Apostolico fuit omnis Episcopus olim)
Haud facilè dubitet, qui sacra volumina legit
Sedulus, aut veterum patrum monumenta revolvit.
Scripturam inspiciens, hic Timotheúmque, Titúmque
Presbyteros passim cognoscet constituentes,
Illorúmque accusatores pellere jussos,
Res nisi testibus esset contestata duobus:
Quod probat illos jus in Presbyteros habuisse,
Præsulibúsque adeo sanctis simul annumerandos.
Ignatii pia scripta legens (qui proximus illis
Ætate & meritis, & Episcopus Antiochenus,
Successor Petri fuit, &, si vera loquatur
Fama, Dei Natum vidit,) deprendet ubique
Ordinis illius triplicis vestigia clara.
Scripta deinde legens patrum, quos fortè tulerunt
Secla priora tria, antiquas venerabitur illas
Sedes, quas olim in variis regionibus orbis
Petri vel Pauli comites fixisse videbit;
Romæ Clementis sedem, Solymísque Jacobi,
Timothe'que Ephesi, (quæ cultu est nota Dianæ,)
Atque Titi Cretæ, Marci quoque in urbe superba
Pellæus juvenis quam struxit ad ostia Nili;
Agnoscet sedem Polycarpi denique Smyrnæ.
Nulla ætas ex qua cœlestia regna revisit
JESUS, his caruit quibus in Collegia sacra
Presbyterorum non esset jus atque potestas:
Hanc ergo ob causam à nobis quicunque recedit,
Schisma facit, pacísque sacræ est violator iniquus.
M. Dic mihi quem tandem verbi decet esse * Ministrum?
D. Nempe

* *Minister Dei quis sit oportet?*

(tum,
D. Nempe virum doctum, & morum integritate proba-
Prudentem, propriámque domum cum laude regentem,
Ut peccatores quosvis reprehendere possit
Jure suo, fugiens facere hæc quæ damnet in illis.
Cui sit non tam magna loqui, quam vivere cura.
Vir bonus & patiens sit Episcopus omnis oportet,
Mitis, pacificúsque, & ab omni fastu alienus,
Annis & pietate gravis, populúmque docere
Aptus, scripturísque potens, multúmque in iisdem
Versatus, referens oracula sacra loquendo.
Crimen avaritiæ fugiens, atque, ut decet, auri
Contemptor, mundi istius contemptor honorum.
Munificus, miseris facilè sua viscera pandens.
Ante suam ipsius ponens gregis utilitatem.
Illorum causa mala quæque subire paratus,
Pro quibus ipse mori est non dedignatus IESUS.
Sobrius, & vigilans verbis factísque pudicus,
Prælucens aliis morum probitate fidéque,
Omnibus exemplar vitæ inculpabilis, & quem
Virtutis causa veneretur turba profana.
M. Quid fiet demum ignavísque malísque Ministris?
D. Deponat tales Ecclesia sancta Ministros,
Censuráque notet, quæ injustos terreat omnes:
Nempe Dei causæ in terris nil officit æquè
Atque malum exemplum populo dans ipse Sacerdos.

M. Dic nunc * Presbyteri qua sint ratione sacrandi?
D. Servat Apostolico jure hunc Ecclesia morem;
Nempe ut Pastorum sacro assistente Senatu
Præ-

* *De Ordinatione Ministrorum; & quod in Ecclesia constituta nisi ab Episcopo fieri non debeat.*

Præsulis haud dubiis signis factúmque probante,
(Consilio siquidem communi Præsulis, atque
Presbyterorum olim fieri omnia rite solebant,)
Denique plebe nihil quod jure opponat habente,
Presbyteros Præsul sacret hos, qui sint pietate
Doctrinâque viri insigni, statuátque per urbes
Custodes ovium Christi, verbíque Ministros.
M. Nemóne Presbyterum sacret sine Præsule? *D.* Nemo;
Saltem ubi Presbyteros qui sacret idoneus extet
Præsul, id est, veræ qui cultor Relligionis,
Quique viris optet fidis imponere dextram:
Temporibus priscis sine Præsule nil erat actum.
M. Si Præsul fuerit fidei adversarius ejus
Tradita quæ sanctis, nolítque sacrare Ministros
Relligio quibus una placet quæ consona scriptis
Divinis, veterum scriptis quæ consona * Patrum,
Denique Conciliis quæ consona quatuor illis
Quæ prima in terris Generalia jure vocantur:
Si nolit sacrare viros quibus integra vita est,
Nec nisi qui simulachra colunt, fideíque tremendum
Naufragium fecere suæ velit esse Ministros,
Quid fieri debet? *D.* Si Ecclesia constituatur,
(Constituendæ Ecclesiæ enim, me judice, longè
Diversa est ratio,) quærendus Episcopus alter
Qui pius, antiquæ fidei sit amánsque, velítque
In vineta Dei servos legare fideles.
M. Si talis nemo est, quid fiet, dic age? *D.* Non est
Destitui sponsam Christi Pastoribus æquum;
Presbyteros fratres hac conditione necesse est
Consecrare suos, Verbíque creare Ministros.

M. An

* *Ad sacram scripturam, Patres, & quatuor prima Concilia Generalia Reformates omnes provocare.*

M. An ſunt Pontificis Romani qui grave * primi
Excuſſere jugum Paſtores ritè vocati?
D. Quis dubitet, niſi qui ſævam defendere Romam,
Atque Dei cauſam planè ſubvertere tentet?
Nemo fuiſſe neget Doctores Presbyteróſque
LUTHERUM ſocióſque, quis ergo ritè vocatos
Ad munus ſacrum neget eſſe, aut quis neget illos
Purè exponendi divina oracula plebi,
Et prout tunc almæ ſe res Eccleſiæ haberent,
Hos ſucceſſores ſibi jus habuiſſe creandi,
Qui populum regerent, & Verbi lacte foverent;
Donec eis poſitis odiis præjudiciiſque,
Nunc quibus in partes Eccleſia ſcinditur alma,
Et ſævis fit præda lupis, cum Numine tandem
Ad formam, ut par eſt, antiquam cuncta redirent,
En pietas collapſa fuit, plebs morbida, erántque
Proh dolor! ipſi Paſtores pars maxima morbi;
Omnia ſummè conturbata, Eccleſiáque ipſa
Reſtauranda ſimul verbi præconio in orbe,
Tunc cum Germanus monachus velut Elias alter
Argueret ſcriptis immania crimina Romæ,
Et cœlo hæredes quavis ratione crearet.
Interea eſt omnis ſine † Præſule quem vereantur
Ipſi Presbyteri cum plebe Eccleſia manca;
Hiſce carens, qui dum pietas ſincera maneret,
Eſſe videbantur fraternæ vincula pacis.
Angeli item titulo exornatur Epiſcopus urbis
Smyrnæ, exornatur titulóque Antiſtes eodem
Pergami, (ut haud ſit opus mihi plura exempla referre)
Illi, qui JESU placidis requievit in ulnis.
Et

* *De vocatione primorum Reformatorum.* † *Eccleſiam ſine Epiſcopo eſſe imperfectam.*

Et feclis cunctis myfteria multa retexit.
Nempe quod Antiftes videatur fedulus omnis
Invigilare gregi velut * Angelus, atque tueri.
O nimium fœlix Ecclefia noftra Britanna,
In qua Presbyteri jufti, populúfque fidelis
Præfulibus gaudent antiquo more fubeffe!
† Alma parens, dilecta Deo, cœli una voluptas,
(Nam te compellare juvat, dulciffima rerum,)
Qua non in terris Ecclefia caftior extat,
Néve antiquorum fervantior altera morum,
Optima Catholicæ pars, reftaurata cruore
Martyrum, & O fævæ Babylonis maximus horror,
Subdita principibus non vi, fed amore; benignis
Sub quorum aufpiciis tu non es vifa tumultu
Excuffiffe jugum Romanum, fed repetiffe
Ceu poftliminio prifcas fine fanguine leges,
Et cum legibus una antiquam Relligionem.
Inde tot illuftres vera pietate tulifti,
Doctrináque viros, quot arenæ in littore ponti.
Protegat omnipotens téque & tua pignora femper,
O fidei cuftos, & vindex, O decus orbis!
M. Hancce tuam in matrem pietatem laudo, Philippe;
Nam facis ut puerum ingenuum decet: at redeamus.
Debet Apoftolico ergo Ecclefia jure fubeffe
Præfulibus fanctis. *D.* Sic fentio; juréque eodem
Par honor eft || cunctis, par eft cunctífque poteftas.
Si quid præ reliquis, habet unus honoris, id omne
Conciliifve facris debet, regúmve favori.
M. Cur eft Romano primas dare vifa vetuftas?
D. Non propter Petri cathedram, fed quod caput orbis
L Roma

---

* *Epifcopi cur Angeli dicti.* † *Apoftrophe ad Ecclefiam Anglicanam.* || *Epifcopos omnes pari honore & poteftate præditos effe.*

Roma foret, rerum Dominæ datus ille honor urbi est.
At quæ nunc Roma est, quantum mutatur ab illa
Cujus erat quondam pietas celebrata per orbem!
M. Integra Catholicæ quæ demum Ecclesia pars est?
D. Integra Catholicæ pars est Ecclesia nempe
Quam cum Presbyteris inspectat Episcopus unus,
Et quæ Catholicæ morésque fidémque tuetur.
M. Anne errare potest Ecclesia particularis?
D. Scilicet hoc nimium docet experientia quemque.
M. * Catholica anne errare potest, penitúsque aboleri?
D. Errare ut possit, nescit tamen illa aboleri;
Fundamen servat, portis invicta gehennæ.
Structa super petram stat nullo mobilis ævo;
Hæc petra est Christus, qui sustinet omnia solus,
Cui tribuenda boni cujusque est gloria facti:
Gratia enim Christi stat sancta Ecclesia, & usque
Stabit, pressuris quamvis exercita multis.
Ut dat palmitibus vitis generosa vigorem,
Sic Ecclesiæ inhærenti sibi amore fidéque
Dat Christus, nunquam maculari erroribus illis
Queis non condonet; peccato obnoxia quamvis,
Sponsa tamen Christi est, & semper amabilis illi.
M Objiciunt nobis hostes certamina, quæ sint
Inter doctores nostros de relligione.
D. Dissensus talis melior de relligione est,
Quam sit vel summus consensus in impietate.
M. Dic quem † Conciliis det honorem Ecclesia sancta?
D. Conciliis Patrum (quatuórque prioribus illis
In primis quæ jam Generalia jure vocantur)
Post Evangelia, & monumenta Prophetica semper
Sponsa Dei summum tribuisse videtur honorem.

M. Con-

* *De perpetuitate Ecclesiæ Catholicæ.* † *De Conciliis.*

M. Concilia * errare an possunt Generalia? *D.* Possunt,
Cùm sint illa hominum, qui ducunt nil alienum
A sese errare; & bene tunc statuisse videntur,
Cum statuunt tantùm, quæ scriptis consona sacris.
Credibile omnino est, quod Concilium Generale
Verè sic dictum (totius scilicet Orbis
Præsulibus constans) nequaquam erraret in illis
Quæ fidei nostræ fundamina rite vocantur.
Tale ego Concilium in terris expecto futurum,
Tunc cum forte jugum Romanum excusserit orbis,
Antiquamque fidem ausi sint defendere reges
Quotquot submisere Cruci sua sceptra tremenda.
At dum Romana manet Antichristus in urbe,
Conciliisque præest, Decretáque fingit, ut ipse
Vult, ex Conciliis nihil utile spero futurum.
M. † Concilia an cogi Generalia quæ vocitantur
Regibus invitis possunt? *D.* Me judice cogi
Regibus invitis non debent, saltem ubi reges
In Christum credunt, atque ejus numen adorant.
Hi sunt custodes Tabulæ utriusque tremendæ;
Hi sunt, quos sæpe est experta Ecclesia patres,
Et quibus in licitis omnes parere jubentur.
Consuevisse pios Synodos indicere reges,
Testantur Synodi, veterum monumentáque Patrum.
M. Dic mihi, quid || rex sit? *D.* Supremi regis imago,
Ejus in orbe vicésque gerens, mortaléque numen:
Qui condit leges, & eas simul ipse veretur;
Qui pater & patriæ, populi Pastórque fidelis,
Integritate sua fretus magis optat amari,
Quam constipatus gladiis jaculísque timeri.
Princeps quisque bonus populi securus amore est:

* *An errare possunt?* † *Quis indicat Concilia Generalia?*
|| *De Magistratu civili.*

Armatos inter metuit pavitátque tyrannus,
Et raro moritur ſine cæde & ſanguine. *M.* Verum
Scire velim quis ſit dicendus jure tyrannus?
D. Qui temnit leges hominúmque Deíque ſupremi,
Et cui ſit pro lege ſimul ſua ſola voluntas.
M. Quid regnum? *D.* Eſt commune bonum, dominatio (juſta,
Curáque ſubjecti populi indefeſſa, ſalubre
Ecce Dei donum regnum eſt mortalibus ægris,
Quo ſine nec pietas, nec jus conſiſtere poſſit;
Abſque hoc res hominum peſſum foret ire neceſſe.
Utilitas quam fert regimen quodcunque profectò
Tanta eſt, ut præſtet ſub quovis vivere, quam ſub
Nullo, in quo furum regnaret ſola libido.
Quamvis ſæpe gravis populo ſit pœna tyrannus,
Attamen unum, quam multos præſtaret habere.
M. Quid lex? *D.* Eſt populi & regis ſententia lata,
Juſta jubens, prohibens contraria, origo ſalutis,
Omnibus æqua, ſibi conſtans, mens libera, pura,
Affectúque carens omni, ſacra regula vitæ.
M. Nonne ſalus populi lex eſt ſuprema? *D.* Suprema eſt:
Sed data Principibus lex ſacra eſt, ſcilicet illis
Cura quibus populi committitur. Imo ſalutem
Principis & populi quis ſeparet? Eſt utriuſque
Una ſalus: *Utriuſque ſalus Lex eſto ſuprema.*
Nil conducit api, quod non conducat acervo
Communi (nempe eſt apibus reſpublica quædam)
Utile non populo eſt, quod non ſimul utile regi:
Nec regi, quod non populo ſimul utile blando.
Illud terrarum Dominos meminiſſe juvabit,
Non regum cauſa populum factum (quod iniqui
Nonnulli, regum peſtes, docuiſſe videntur)
Sed populi cauſa reges à Numine factos.
Agnoſcet, quiſquis finem conſideret omnis

Im-

Imperii, qui non alius, quam gloria Chrifti,
Atque falus unà populi, fub Principe jufto
Viventis veluti grex fub Paftore fideli.
M. Qua ratione falus regis populíque paratur?
D. Vera utriufque falus fola virtute paratur,
Nimirum, cum pulchrè obeunt fua munia uterque.
M. Dic mihi, num debet fubdi rex legibus ipfe?
D. Sit licet humanis fic legibus ipfe folutus,
Ut non cogatur pœnis, tamen haud erit idem
Rex bonus & juftus, nifi fubdi legibus optet:
Pulchrum eft, cum Princeps facit illud, quod jubet ipfe.
Rege bono in terris majus nihil, utiliúfve eft:
Rex bonus eft populi vita, & quafi *Spiritus oris.*
Quo folo falvo, fæpe eft res publica falva.
Hinc orbis gentes (veterum monumenta legentes
Nôrunt) immodico quofdam dicuntur honore
Affeciffe bonos reges; quofcunque tuliffe.
Omnes officii caufa coluiffe probantur
Mortales, fenfus quibus effet Numinis ullus,
Queis foret aut propriæ, aut alienæ cura falutis.
M. Anne illud verum eft, *Quod rex fit lex animata?*
D. Cum fint multa nimis, quæ nulla lege caventur;
Nec fcripta invenias femper, quæ fint tamen æqua;
Atque prout rerum ftatus exigat, optima factu;
Si rex illa jubet quæ publica (lege tacente)
Poftulet utilitas; fi legum forte rigorem
Temperat, ut deceat, *Lex eft animata*, fuarum
Supremus legúmque interpres, & Arbiter æqui.
Scripta lege fua loquitur rex, fcripta proinde
Optima regnandi femper Lex regula vifa eft.
M. Dic nunc magnorum quæ fint facra munia * regum,

* *De officio regis.*

Quæ deceat mundi rectores cura potentes?
D Jus, & divinam super omnia Relligionem
Conservare; bonas & justas condere leges;
Has juxta punire malos justósque tueri;
Exemplísque suis populo virtute præire;
Denique pacem unam innumeris præferre triumphis.
Namque sui officii rationem in tempore reddent
Terrarum Domino reges cum plebe tremendi,
Si quid contra ejus leges fecere superbè.
M. Dic, quid principibus * populus præstare tenetur?
D. Obsequium juxta Domini præcepta fidele,
Debita vectigalia, justum denique honorem.
M. An populus justas regum detrectet habenas,
Illísque obsistat? *D.* Minimè; quia nempe subesse
Principibus (quorum est à Numine sacra potestas,
Quíque boni cum sint, sunt cœli maxima cura,)
Omnem animam scriptura jubet, damnátque rebelles.
M. Regibus an debent Christi parere ministri?
D. His etiam Christi debent parere ministri.
Et quamvis reges non possunt munia obire
Rite Sacerdotum, tamen illos cogere possunt,
Officia ut faciant. Sic priscis regibus illis
Inter Judæos hominum omnis paruit ordo;
Cæsaris imperio sese submisit IESUS;
Pro se, discipulisque suis tulit ille tributum,
Principibúsque suos justum dare jussit honorem.
Hinc sancti Patres, & Episcopi ubique per orbem
Cum Clero (dum prisca fides, pietásque vigerent,)
Observaverunt, ceu quædam numina, reges,
Hisque Deum precibus sæpe effecere benignum.
M. Principibúsne malis an subdi nos decet? *D.* Imo
Prin-

* *De officio subditorum.*

Principibus subdi decet omnes, non modo justis,
Utilibúsque quidem, sed perversísque malísque:
Namque potestas quam Princeps habet omnis, ab Illo
Cujus supremus cognoscitur esse Minister. (est,
M. Si nos prava jubet rex, an parere tenemur?
D. Absit; namque Deo potius parere tenemur,
Quam regi, si rex jubeat quæ ingrata Tonanti.
(*Quæ Domini Domino, quæ regis reddito regi,*
Lex sacra est ejus, qui regibus imperat orbis,)
At quamvis regi contingat prava jubere,
Non ideo regi periit sua justa potestas,
Sed decet in reliquis nos huic parere libenter.
M. In quibus? *D.* In cunctis, quæ sunt vel justa & honesta,
Vel quæ sunt *mediæ naturæ*, (plurima namque
Sunt ejus generis) quæ nec bona, nec mala per se,
Verum quæ nostri incipiunt tunc muneris esse,
Cum fieri hæc jubeat regum veneranda potestas.
M. Hosti jurato sua tradere regna volenti
Anne putas regi parendum? *D.* Rebus honestis
Quamvis parendum regi sit in omnibus, illi
Non in eo tamen est parendum, quo efficiatur
Ut ne equidem Rex sit: Princeps fit publicus hostis
Talia qui faciet: communis cura sit illa
Magnatum & populi regni sacra jura tueri.
M. An liceat semper populo defendere sese
Contra hostem, illatam vim vísque repellere? *D.* Sanè,
Illud naturæ lex ipsa jubere videtur.
M. Dic mihi, quis meritò sit habendus jure rebellis?
D. Nempe is qui regis justas detrectat habenas,
Illíque obsistit sumptis hostilibus armis.
Qui regem temnit miser, evasítve rebellis,
Ille crucem Christi simul abjecisse videtur,
Atque negâsse fidem, jam factus Apostata vilis,

Dede-

Dedecorans nomen ſanctum, quo fortè vocatur.
M. An ſcelus eſt armis obſiſtere prava jubenti
Regi? *D.* Sic ſanè, ſi regi ſumma poteſtas
In populum data ſit, ſcelus eſt obſiſtere, & armis
Velle coercere hunc, in quem jus Ille habet unus
Qui ſedet in cœlis, & mundi regna gubernat:
Poſt Numen regem revereri debeo. *M.* Regem
Judicet an nemo peccantem? *D.* Judicet illum
Nemo mortalis, rationem rex habet Uni
Reddere, nempe Deo, quin regi multa patranti
Injuſtè, & legi contraria, ſit ſatis illud
Ad pœnam, *Conſcire ſibi, ſtimuliſque agitari*
Mentis, & ultorem ſcelerum expectare Tonantem.
M. Anne licere putas cuiquam obtruncare tyrannum?
D. Nemo cui pietas fuerit ſincera putabit:
Regi cui belli cauſa eſt juſtiſſima fas eſt
Debellare quidem, (ſed aperto Marte,) tyrannum.
M. Dic an nos deceat regum parere miniſtris?
D. Omnino in rebus licitis. *M.* Si forte miniſtri
Quid contra leges fecere, an judicet illos
Nemo? *D.* Judicet hos * Princeps, procerúmque Senatus,
Et faciat meritas pro criminibus dare pœnas.
M. Si rex injuſtos nolit punire miniſtros,
Quid fieri debet? *D.* Proceres, ſi legibus id ſit
Permiſſum, debent pravos punire miniſtros:
Sunt hoſtes patriæ, quos ne rex ipſe tueri
Debet, ſed potius pœnis mulctare tremendis.
M. Si rex non tantùm jubeat quæ injuſta, ſed idem
Hos ſimul occidat, ſibi qui parere recuſant,
Anne pati præſtat paupertatémque famémque,
Vinculáque, & quicquid nobis regum inferat ira,
Quam

* *Regem à nemine mortali judicandum.*

Quam ſumptis armis noſmet defendere? *D.* Quid ſit
Ordinibus regni permiſſum legibus olim
Et nunc in reges violantes omnia jura,
Vix hominum, nedum venerando nomine regum
Dignos, neſcio planè; illud tantum ſcio, Quod nos
Si prohibent leges noſmet defendere, præſtat
Obſervare ſacras leges quam temnere; præſtat
Quam peccare mori; juſto, Dominúmque timenti
Nil in morte mali eſt: ſunt nobis arma parata
Semper contra omnes, lachrymæque precéſque, tyran-
Sit ſatis id nobis, quod ſit ſuper æthera, novit (nos.
Qui ſervare bonos, & debellare ſuperbos.
Si malus eſt princeps, Deus eſt orandus, ut illi
Cor mutare velit, Patriæque det eſſe Parentem:
Flectit enim quo vult Deus his quoque corda potenter.
M. Ergo nefas populo eſt regem deponere. *D.* Certè
Eſſe nefas duco: nam ſi populo hocce liceret
Quandocunque velit regem deponere, Princeps
Tutus nemo foret, quamvis juſtiſſimus idem,
Deliciæque bonorum eſſet. Deponere reges
Hóſque necare ſimul, ſcelus eſt quod prima per orbem
Edocuit gentes, & adhuc docet impia Roma,
Omnium ubique parens ſcelerum, imprimíſque inimica
Regibus, & cunctis regum qui jura tuentur.
M. Menſura obſequii num gentibus omnibus una eſt,
Erga illos, quibus eſt conceſſa * ſuprema poteſtas?
D. Gentibus imperii non forma eſt omnibus una,
(Hæ parent uni, ſubduntur pluribus illæ,)
Verum ſive uni, ſeu multis ſumma poteſtas
Sit conceſſa, ſacra & populo ſimul inviolanda eſt:

Is

---

* *Supremæ poteſtati, ſive uni, ſive pluribus, à Deo conceſſa ſit, non reſiſtendum.*

Is grave judicium expectet, quicunque resistit
His quibus Omnipotens ejus dedit esse Ministros
In terris summos. *M.* Sed dic, puer optime, ab illis
Provocet an nemo? *D.* Nemo, me judice, ab illis,
Suprema in terris quibus est concessa potestas,
Provocet omnino, nisi ad hunc, qui cuncta gubernat.
Quamvis sint odio sævi injustíque tyranni
Terrarum Domino, tamen hos, alia ut mala multa,
(Pestes atque famem) genti est immittere visus,
Quam pro peccatis vellet punire nefandis.
M. Nonne, puer, nôsti quod sint regna in quibus ipsi
Reges factorum rationem reddere sæpe
Cogantur populo? *D.* Reges non esse videntur,
In quos imperium populus demens habet, & quos
Quandocunque velit (miserabile!) judicet, imo
Deponat: populi est subdi, non imperitare
Regibus; ipsa rei id natura requirere visa est:
Nempe locum capitis scelus est invadere membris;
Atque pedes cum sint, se lumina velle videri.
Ex populi rabie imperium arripuisse volentis
Quanta sit in mundo confusio sæpe secuta
Impietas, cædes, incendia, furta, rapinæ
Illatæ passim matronis, virginibusque
Historiæ monstrant, lachrymasque legentibus unà
Sæpe ciere solent quibus haud sint ferrea corda.
At jura imperii, cum sint varia, illa relinquo
Discutienda viris doctis, legúmque peritis:
Sint cuique obsequii patriæ sacra regula leges,
Dum nihil hæ leges jubeant, nisi quod sit honestum;
Communíque bono conducat, & utilitati.
M. Majórne est Præsul Romanus regibus orbis?

D. Non

D. Non eſt; ſed * rex quiſque ſua in ditione ſupremus
Poſt Numen ſanctum eſt rerum moderator habendus,
Atque Deo in terris minor uno: At ſiqua piorum
Scriptis danda fides, Papa Adverſarius ille eſt
Qui ſedet in Templo Domini, Deus optat haberi;
Altari impoſitus ſeſe præbètque colendum,
Atque ſuper reges ſe extollit totius orbis,
Impius Ille Exlex, Coryphæus, apoſtaſiæque
Illius magnæ, quam ſeclis nempe ſupremis
Vatum ſacra cohors prædixit in orbe futuram;
Ipſe Antichriſtus, mundi teterrima peſtis;
Cujus molitur, regnum ſub nomine Chriſti,
Chriſti, qui coram Romano Præſide regnum
Clara voce ſuum de mundo hoc eſſe negavit.
M. Nonne Antichriſtum deſignat Spiritus almus
Mirando quodam numero? *D.* Deſignat; & illum
Viderunt Patres veteres in voce ΛΑΤΕΙΝΟΣ
Comprendi numerum, qui Chriſti denotet hoſtem.
Non opus eſt verbis, fraudes, blaſphemia, faſtus,
(Colla ſuis pedibus Regum premit ille ſuperbus)
Scripturæ ſacræ contemptus, dogmata falſa,
Spurcities, animus ſimul inſatiabilis auro;
Sævitia immanis Romani Præſulis, ipſum
Eſſe Antichriſtum demonſtrant, quem Deus olim
Perdet, & æternos cruciandum mittet in ignes.
M. Dic mihi jam tandem, quo tempore debuit Exlex
Ille revelari? *D. Sublato,* ut Apoſtolus inquit,
Romano imperio: ſublatum eſt illud, & hoſtis
Ille Dei Romæ jamdudum regnat, adeptus
Imperium in populum per crimina multa nefanda,
Quo certè haud aliud fuit exitialius orbi.

M. Num

* *Regem quemque in ſuo regno eſſe ſupremum.*

M. Num quis jure poteſt totius Epiſcopus orbis,
Et Chriſti in terris ſimul eſſe vicarius unus?
D. Qui affectat titulum hunc, ſit Chriſti ille hoſtis o- (portet;
Blaſphemum titulum quicunque capeſceret, illum
Certè * Antichriſto dixit præcurrere magno
Gregorius Romæ ſupremus Epiſcopus urbis,
En quæ caſta fuit, nunc ſit lupa, & ebria multo
Sanguine Sanctorum: Babylon nunc myſtica Roma eſt.
M. Schiſmatica èſtne Eccleſia, quæ ſecedat ab illa
Quæ manifeſtè idola colit, ritúſque profanos
Invehit, hæreſibus multis infecta nefandis?
D. A cœtu hæreticorum idoláque muta colentum
Utile ſemper erit, juſtúmque recedere ſanctos;
Sancti omnes ſæva Babylone exire jubentur.
M. Dic mihi, † Schiſmaticus quis ſit? *D.* Me judice, is (ipſe eſt,
Perverſus, tumidúſque animi, qui à corpore Chriſti,
Nempe ejus ſponſa, manifeſto errore recedit;
Legitimo Altari opponítque altare profanum,
Pacem illam violans (rerum gratiſſima cœlo
Pax eſt) quam moriens nobis legavit IESUS,
Quam ſemper ſtuduit ſervare Eccleſia ſancta.
M. Dic quibus ex cauſis || oriantur Schiſmata? *D.* Sur-
Ex præjudiciis variis fraterno odióque, (gunt
Invidia, & nota quorundam fraude virorum
Omnia qui lucri cauſa faciúntque docéntque:
Qui cum mancipia exiſtant ipſi vitiorum,
Libertatem aliis promittunt, ſeditioſi,
Spargere rumores falſos, & ſub pietatis
Larva mortales incautos fallere docti;
Hi ſunt quos ſtupet, & miratur vulgus ineptum.

Scan-

* *Roma eſt Babylon, Papa Antichriſtus.* † *Schiſmaticus quis ſit?* || *Schiſmata unde oriantur?*

Scandala prædixit JESUS ventura, sed idem
Væ miseris, dixit, *per quos hæc ipsa venirent.*
M. Dic, curnam pestes Deus has permittit oriri ?
D. Ut qui sint fidi hac demum ratione probentur.
M. Num fugienda piis * patrum communio, qui sint
Illis suffecti quos Regum sacra potestas
Sedibus expulerit ? *D.* Justen' id ? *M.* Finge fuisse
Injustè factum. *D.* Communio non fugienda est
Horum, si sint Catholici electíque recepto
More à Catholicis: nil sanctis tam metuendum est,
Quam ne ulla ipsorum causa contentio fiat.
Dum sit salva fides, fugiendum Schisma profanum est,
Et pax, qua detur, cum plebe colenda fideli.
Ætas prisca tulit, qui pacis amore fuerunt
Pauperiem, exilium, mortémque subire parati.
Martyras ille æquet meritis, olímque coronam,
Martyris accipiet qui malit ponere vitam,
Quam populo infelix existere Schismatis auctor,
Atque adeo multis æternæ causa ruinæ.

---

* *Episcopos, etiam injustè depositos, communionem successorum suorum, modo sint Catholici, & ritè electi, fugere non debere.*

M ΠΕΡΙ



ΠΕΡΙ ΑΡΧΩΝ,

Sive

De Principiis Religionis Christianæ,

LIBER SEXTUS.

MAGISTER, DISCIPULUS.

M. IC mihi, num sacros statuendi * Ec-
(clesia ritus
Jus habet, & lites dirimendi ? *D.* Ec-
(clesia certè
Si juxta sacras scripturas judicet, ut
(par
Decernendo potest lites componere, sed jus
Contra scripturas statuendi non habet ullum:
Jus habet & sacros statuendi Ecclesia ritus,
Sed tantum ritus populus quibus ædificetur;
Qui neque sint multi, nec inepti; denique sanctæ
† Matris prospicere est, UT FIANT CUNCTA DE-
(CENTER:
Estque piæ sobolis non temnere jussa Parentis.

Rel-

* *De ritibus Ecclesiæ.* † Ecclesiæ est videre, *Ut omnia fiant* decenter.

Relligio res eſt ſimplex, gaudénſque decore
Interno, (morum probitate fidéque) requirit
Haud multos ſanè, qui oblectent lumina, ritus.
Ætas longa tamen multa invexiſſe notatur
Quæ minimè ſapiunt primævam ſimplicitatem,
(In Templis Romæ quæ fiunt id docet omnes,)
Imo jugum longè ſuperant gravitate, quod olim
Ipſi Judæi veteri ſub lege tulerunt.
M. At cum de rebus non ſit mens omnibus una,
Si de hoc, *Quid deceat, quid non?* ſit Quæſtio, dic nunc
Quorum judicio demum ſtet oporteat omnis?
D. Regis * judicio & Synodi ſtet oportet in illis
Quæ Diſciplinam (quæ cuſtos optima morum)
Cultúmque externum ſpectent, modo nil ſtatuatur,
Quod cum ſcripturis, & priſci moribus ævi
Pugnet. *M.* An admittit varios Eccleſia ritus?
D. Catholica admittit varios Eccleſia ritus,
Pro varia ætatum, & varia ratione locorum.
At populi unius quæ Eccleſia dicitur, illa
Si pacis blandæ, ſi ſit ſtudioſa decori,
Numquam diverſis optabit ritibus uti.
In ſacris aliquis ſervetur ut ordo, requirit
Multorum utilitas: alitur pax ordine pulchro:
Qui Deus eſt pacis, Deus eſt ſimul ordinis idem.
M. Inter juſſa hominum, † mandatáque ſacra Tonantis
Jam quodnam ponis diſcrimen? *D.* Scilicet illud;
Quod ſervanda putem hæc propter ſe, ſemper, ubique:
Illa autem propter Dominum, ſervetur ut ordo.
Hæc, quod & optima ſint, & in his ſit vita perennis;
Illa, ejus quod ſint naturæ, ut ſint facienda,

M 2 Vel

* *De rebus adiaphoris quorum ſit judicare?* † *De mandatis divinis & humanis, & quomodo inter ſe differant.*

Vel facienda minus, communis ut exigit usus,
Publicáque utilitas, cui quisque studere tenetur.
Porrò in eo humanis distant mandata Tonantis,
Quod mutent humana homines, sed jussa Tonantis
Is mutet solus, qui cœlum numine complet.
M. Nemo ergo mutet quæ constituisse probetur
Cœtus Apostolicus. *D.* Nemo hæc, me judice, mutet.
M. Num conscire ligant nobis mandata regentûm?
D. Hæc conscire ligant, sed non nisi quatenus extent
Mandata illorum quibus æquus condere leges,
Et regere imperio populum dedit arbiter orbis;
Nempe potestatis Deus est fons omnibus unus;
Perque illum solum reges dant jura per orbem.
M. Nonne inventa hominum fugienda in Relligione?
D. Illa inventa hominum quæ sint contraria legi
Divinæ fugienda puto, sed quis nisi iniquus
Judex hæc damnet, quæ scriptis consona sacris,
Et pietati longò usu inservire probantur?
Nil nisi quod faciunt ipsi solet hisce placere,
Qui quicquid veteres bene constituere per orbem
In sacris damnant, ducti novitatis amore;
Gens non ipsa suis placitura nepotibus olim:
Inconstans adeo, & semper mutabilis error.
SERVANTO RITUS PATRIÆ, sacra lex fuit olim;
Servanto certè, si commendentur ab ipsa
Non modo canitie ipsorum, sed & utilitate.
M. Quos ritus homines mortales constituerunt,
Hi minimè Domino nos commendare videntur.
D. Quamvis nos ritus quos Patres constituerunt
In rebus sacris per se non posse videntur
Commendare Deo, tamen his respectus habendus,
Propterea saltem, quod constituantur ab illis
Queis data sit ritus statuendi hos sacra potestas,

Quos

Quos ad honeſtatem conducere poſſe viderent.
Nos ea commendat Domino reverentia certè
Quam propter Dominum præſtamus regibus almis,
Præſulibúſque bonis ſtatuentibus omnia juſtè.
M. Nos ſcriptura docet non ponere ſcandala fratri.
D. Rectè; & nil homini faciendum credo fideli,
Quod fratrum infirmis animis offendere poſſit:
At tam lædit eos, qui ritus ſpernit honeſtos,
Quam qui obſervari, me judice, mandat ineptos.
Nempe Magiſtratus quas leges ſanxit honeſtas,
Has ſi quis violat petulanter, pernicioſum
Exemplúmque aliis præbet, turbátque quietem
Publicam eam, quam cuncti conſervare tenentur.
M. Ergo Sacerdotes quibus uti veſtibus, & queis
Ritibus in ſacris peragendis, & quibus unà
Numinis ad cultum nos conveniſſe diebus;
Quo pacto caſti celebrentur fœdera lecti;
Quam deceat vita functis impendere curam;
Quæ loca habenda ſimul ſint ſancta fidelibus; illa
Et reliqua illius generis ſtatuantur ab illis,
Quos Deus eſſe dedit reges, patriæque parentes.
D. Qui neget, in magno verſari errore neceſſe eſt;
Schiſmaticúſque ſimul, ſi contra fecerit, idem eſt.
Chriſti ejúſque ſacræ fugiens conſortia Sponſæ.
M. Annon multa ſacræ mutentur pacis amore?
D. Si pax hac demum poſſit ratione reduci,
Quæ *mediæ*, ut dicunt, *naturæ* ſunt, adeóque
Humani omnino juris, mutentur ab illis,
Quorum ſit rebus de ſacris condere leges.
Atque videre, ut pulchro fiant ordine cuncta;
At quæ majores noſtri * bene conſtituerunt,

* *Quæ ſunt bene conſtituta, non temere mutanda.*

Abſque gravi cauſa minimè mutanda putarim ;
Ne variando ubi nil ſit opus, juſtiſſima detur,
His qui antiqua novis præponunt, cauſa querelæ ;
Et fiat morbo medicina nocentior ipſo.
Quæ ſemel in ſacris bene ſunt, & rite ſtatuta,
Mutare hæc, ſemper viſa eſt res plena periclis.
M. An tibi ſola placent, quæ ſint antiqua, Philippe?
D. Nunquam diſplicuit mihi quicquam hoc nomine ſolo,
Quod foret antiquum, & per ſecula multa receptum ;
Sed magis hoc placuit, quo plus ætatis haberet.
Quæ ſunt vera, eadem ſunt antiquiſſima ſemper:
Gaudet & antiquis Eccleſia moribus alma.
M. Dic mihi, cur nobis non ſit * Lux ſeptima ſacra,
Ut veteri populo fuit olim? *D.* Lux ea ſacra
Judaico populo æternæ fuit umbra quietis,
Quam ſancti in cœlis omnes ſperare jubentur ;
Fugerunt Umbræ Chriſto adventante caducæ.
M. Quænam præcepti eſt ergo obſervatio Quarti?
D. Maxima; præcepti ſiquidem fundamine Quarti
Nititur hæc lucis noſtra obſervatio primæ ;
In qua nos Chriſti meritos celebramus honores,
Inſerimúſque animis divini ſemina verbi.
Sabbathicæ requiei mutandi, haud abolendi
Conſecratam lucem Eccleſia jus habet alma.
Septima quæque ſacra eſt lux nobis, non ea certè
Qua Deus omnipotens requievit ab orbe creando;
Sed læta illa dies, qua mortem vicit IESUS,
Extitit & nobis vitæ melioris origo;
Hanc habuiſſe ſacram ſocii noſcuntur IESU,
(Quorum exempla piis vim legis habere videntur,)
Hanc habuit ſemper quoque Chriſti Eccleſia ſacram.

M. Anne

* *De Sabbatho.*

M. Anne * dies festos fas est celebrare in honorem
Sanctorum, simul & varios memorare quotannis
Quos illi propter Christum subiere labores ?
D. Omnino fas est ; tot rara exempla juvabit
Proposuisse piis, & Christi gratiam in illis
Lucentem celebrare : Deo uni denique grates
Solvere promeritas, quod tot clarissima mundo
Lumina donârit, quorum vestigia sacra
Dum premimus læti, sicut vestigia Christi
Ipsi presserunt, cum illis per secula demum
Fœlices erimus. Non dedignabimur ergo
Natales celebrare dies, & promere laudes
Sanctorum Domini ; nec nos fecisse pigebit,
Quod semper veneranda parens Ecclesia fecit.
M. In cœtu sancto peragit dum sacra Sacerdos
Num verbis populus, quæ non † intelligat omnis,
Ipsi orare Deum liceat ? *D.* Non credo licere ;
Nam licet ipse oret, populus non ædificatur :
Est linguæ labor omnis inanis corde tacente.
Effusæ sine mente preces sunt victima stulti ;
Victima quam Dominus non acceptaverit unquam.
M. || Præscriptis verbis liceátne orare Tonantem ?
D. Omnino ; verbis quia nos orare Parentem
Præscriptis docuit Christus ; cui credere stultum est
Posse placere preces temere atque ex tempore fusæ,
Aut delectari hunc vana multáque loquela.
M. Peccatum quod quis commiserit, éstne necesse
Coram Presbytero secretò, & in ¶ aure fateri ?
D. Non est ; sæva tamen labefactæ vulnera mentis
Utile sæpe fuit Pastori aperire fideli,

Illius

* *De diebus festis.* † *De precibus quæ fiunt lingua populo non intellecta.* || *De Liturgiis.* ¶ *De Confessione auriculari.*

Illius & monitis præbere ſalubribus aures.
Sed peccata Deo mihi cura eſt cuncta fateri:
Spes ſiquidem veniæ nulla eſt peccata tegenti.
M. Dic mihi, num Dominus JESUS nos juſſerit ullis
Abſtinuiſſe * cibis? *D.* Minimè; imo vox ea JESU eſt
In ſcriptis ſacris, *Hominem non polluit*, inquit,
Quod ſtomacho ingeritur: ſunt puris omnia pura;
Ergo cibos quoſcunque dedit Deus accipe gratus.
M. Quid † jejunare eſt? *D.* Nempe eſt affligere carnem
Hanc noſtram, ſtomacho eſurienti alimenta negando;
Non ut eo quicquam mereamur, ſed caro ut inde
Spiritui diſcat tandem ſervire, dolorem
Teſtemurque ſimul propter peccata. *M.* Decètne
Jejunare pios? *D.* Decet hac dum carne rebelli
Induimur; carne ad vitium omnes ſollicitamur:
En jejunando domuerunt corpora ſancti
Sæpe ſibi, atque iram ſæpe avertêre Tonantis.
M. Dic mihi, quæ cœli Rector jejunia laudet?
D. Quæ celebrent humiles corde, ob peccata dolentes,
Atque inopum blandè refoventes viſcera fratrum.
M. Quis populo indicat jejunia? *D.* Publica Princeps
Indicat populo privata Eccleſia ſancta,
Et ſibi quiſque, Deo, qui perſpicit omnia, teſte.
M. Tu dum jejunas, oras, miſeriſque benignè
Succurris, (Summo quæ victima grata Parenti,)
An fugis, ut par eſt, hominum præconia vana?
D. Quoad poſſum, fugio: teſtis mihi ſufficit unus
Is qui corda hominum cunctorum inſpectat, apud quem
Sinceris animis mercedem credo reponi.
M. Quis tibi ſincerus? *D.* Qui ſit ſine fraude doloque,
Vivens, ut qui ſe poſitum ſub lumine nôrit

Illius

* *De ciborum delectu.* † *De jejunio.*

Illius qui cuncta videt, qui cuncta gubernat;
Commendare studensque Deo sese & sua soli.
Nemo Deo invisus sic est, ut hypocrita vilis,
Qui quodcunque facit, facit ut spectetur, inanem
Gloriolam captans, & temnens Numinis iram:
Sive quod esse Deum non credat, sive quod ipse
Lumina fortè putet se posse latere Tonantis.
M. Anne Deo * voveam? *D.* Certè; sed non nisi justa;
Et quæ vovisti, cura persolvere. *M.* Verùm
Quid si injusta miser vovi? *D.* Te nempe decebit
Voti pœnituisse tui, Dominùmque timere:
Nunquam grata Deo sunt impia Vota supremo:
Talia qui servat sceleri scelus addere pergit.
M. Anne Deo soli voveam? *D.* Cum sit Deus unus,
Omnia qui novit, soli huic tibi crede vovendum:
Angelicam turbam, sanctosque in vota vocare
Cœca superstitio docuit. *M.* Dic, blande Philippe,
Num peccat, qui se facturum voverit illa
Quæ fieri aut nequeant, aut quæ sibi nulla facultas
Præstandi detur; *D.* Peccat miser, & reus idem
Læsæ majestatis in ipsum Numen habetur.
M. Dic, num grata Deo sint † vota monastica? *D.* Non (sunt,
Namque vovent monachi, quæ nec, me judice præstant,
Nec præstare queunt, (non sese continuisse
Posse datur cunctis,) hi dum connubia damnant,
Non metuunt fœdis sua corpora jungere scortis.
Multa vovent monachi, quæ turpe vovere sit, & quæ
Cum communi hominum nequeant constare quiete.
Quæ regio in terris non horum crimina novit?
O quoties monachi sua vota nefanda misselli
Magnorum fuso impleverunt sanguine regum!

M. Num-

* *De votis.* † *De votis Monasticis.*

M. Numne omnis voveat? *D*. Mulier ſubjecta marito
Si voveat, voto non ſtare tenetur, id ipſum
Vir niſi comprobet; atque ſuperſtite filia patre
Si voveat, fruſtra eſt, votum damnante parente:
Nempe vovens perſona ſui ſit juris oportet.
M. Dic, quis * connubium inſtituit? *D*. Rerum ipſe Creator.
M. Quo fine? *D*. Auxilio ut foret uxor chara marito,
Creſceret atque hominum gens laudatura Tonantem,
Impletura orbem, cœlum impletura ſupremum.
M. Juſſit an Omnipotens, ut eodem tempore plures
† Fœmina nulla viros habeat, nec vir ſibi plures
Uxores ſimul? *D*. Id certè voluiſſe videtur
Conditor omnipotens, uni cum jungeret unam.
Ergo relinquat, ait, *patrem, matrémque vir atque*
Hæreat uxori, caro namque eſt una duobus:
Hoc voluiſſe Patrem Dominus teſtatur IESUS.
M. Dic mihi nunc, cur ſit Mulier ſubjecta marito?
D. In culpa mulier quia prima erat; ergo marito
Promeruit ſubdi, ingentes paſſura dolores
Infœlix quoties in luminis ederet oras
Pignora blanda viro: verùm inventura ſalutem
Si in Chriſtum credat, qui contrivit caput angui.
M. An liceat cuivis uxorem ducere? *D*. Sic eſt,
|| Connubium in cunctis perſonis ſemper honeſtum eſt;
Connubium ſtatus eſt, qui nulli non ſit honori:
Hoc admirandus Paulus docet, hocque fatetur
Petrus, quem monſtrat ſcriptura fuiſſe maritum.
Veráque ſi referant veterum monumenta virorum,
Non ſemper caruit dilecta conjuge Paulus.
M. Anne viro cuivis jungatur fœmina quævis?
D. Non;

* *De conjugio.* † *Polygamia damnatur.* || *Conjugium in omnibus honeſtum.*

D. Non; quia ſint multi conſanguinitate propinqui,
Affinéſque adeo, ut vetitum ſit legibus æquis,
Hos inter ſeſe tædas celebrare jugales.
M. Dic mihi, blande puer, num filius abſque parentum
Conſenſu uxorem ducat? num filia nubat
Invitis illis ſe promittátve futuram
Sponſam? *D.* Non; ſi nil jubeant niſi juſta parentes:
Atque parentum eſt, natis non inhoneſta jubere.
M. Fœmina quæ Chriſti famula eſt, num nubat apellæ,
Hæreticóve viro, vel muta idola colenti?
Atque viro an fas eſt, qui Chriſti Numen adorat,
Ducere Judæam, hæreticam, aut ſimulachra colentem?
D. An connubia talia ſint licita, haud mihi promptum
Dicere; certè illa ut minus expedientia damnat (eſt
Quiſque bonus, prohibent veterum decretáque Patrum.
Quæ non in Domino fiunt connubia, certè
Non ſunt grata Deo; nec poſſunt eſſe beata.
Nulla eſt cum tenebris luci communio, nulla
Prorſus amicitiæ eſt homini credenti in IESUM,
Cum ridente fidem, lacerantéque nomen IESU.
M. Anne eſt connubio * cœlebs vita anteferenda?
D. Eſt aliquando, ſed non ſemper, pro ratione
Perſonarum & temporum. Apoſtolus id docet omnes
Nubere quod præſtet, quam flammis turpibus uri.
Quamvis vita quidem cœlebs obnoxia non ſit
His, quas ſæpe trahant ſecum connubia, curis:
Laude carere tamen quis dicet pignora pulchrè
Inſtituiſſe, bonos cives patriæque dediſſe
Olim magna ſui ſecli ornamenta futuros?
D. Numquis jure ſibi defunctâ † conjuge jungat
Vitæ aliam ſociam? D. Quidni? facit haud inhoneſtè
Si

* *De vita cœlibe.* † *De nuptiis ſecundis.*

Si post uxoris repetat connubia mortem:
Libertate sua par est, ut quisque fruatur;
Non tamen expediunt semper, quæ nulla vetet lex;
Néve decere quidem credo omnes omnia. *M.* Nubat
An Vidua? *D.* Omnino nubat; non peccat in illo;
Sed meliùs faciet, si mente & corpore casta
Sanctarum exemplo viduarum sola manebit;
Ut sic continuis precibus vacet, atque maritum
Erga defunctum ingentem testetur amorem.
M. Quis decet ornatus matronas quásque fideles?
D. His pudor ornatus fuit ingens creditus olim,
Cum pietate; sed heu! nunc utraque vilior alga est.
M. An sunt sancta * Sacerdotum connubia? *D.* Quidni!
Sunt omnino sancta, Deóque accepta supremo:
Uxores constat veteres duxisse Prophetas,
Et Patriarchas, (sub quorum ipse in luce perenni
Inveniar pedibus!) siquis sit sanctior illis,
Non nubat; sed nec cœlebs connubia damnet.
Sic Antichristum depinxit voce Propheta,
Quod foret uxorum contemptor, numinis hostis:
Succinit huic Paulus, dicendo quod prohiberet
Nubere, & hisce cibis simul abstinuisse juberet
Gentes, quos mundi Dominus dedit omnibus uti,
Quos & eo, ut manducarentur, fine creavit.
M. Crimina quæ † solvunt connubia jam mihi narra:
D. Jura quidem violasse tori connubia solvit;
Cætera quantumvis atrocia crimina, certè
Non ea sunt, possint quæ solvere vincula sacra.
M. Anne alia omnino cur dimittenda sit uxor
Præter adulterium causa assignetur? *D.* IESUS
Non aliam esse docet: memini sacra scripta referre
Quod

* *De conjugio Sacerdotum.* † *De divortio.*

Quod cum Judæi decretis Mosis abusi
Ex quavis causa facerent divortia duri,
Cœlestis reprimi meruerunt voce Magistri.
Siquis, ait, Sponsam dimiserit, id nisi fiat
Propter adulterium, atque aliam sibi junget, adulter;
Et qui dimissam sibi junget, adulter habetor.
M. Ergo ob adulterium vir cui dimissa sit uxor
Non peccat ducendo aliam vivente vel ipsa
Quæ dimissa fuit *D.* Minimè, me judice, peccat;
At melius faciet, si dum dimissa supersit,
Connubium fugiens deget sine conjuge vitam.
M. Num persona nocens nubat? *D.* Non nubere honestum est
Dum persona cui sit facta injuria vivat.
Pœna nimis levis est pro crimine (ferrea quicquid
Ætas nostra putet) si uxori scilicet illi
Quæ sit adulterii causa dimissa, maritus
Dum vivat (cujus thalamum violasse probetur,)
Non detur ad thalamos miseræ volitare secundos,
Cum vox sit legis, *Pœnas det adultera morte.*
M. Jurène sunt * decimæ solvendæ? *D.* Hominúmque (Deíque
Legibus has verbi solvendas credo Ministris.
Est mercede sua dignus quicunque laborat.
Cúmque ferant nobis cœlestia dona Ministri,
Subsidia his vitæ credo scelus esse negare;
Hi quæstum spernunt, & plurima commoda vitæ,
Dum studio incumbunt, nostræ invigilántque saluti.
Hos inopem & miseram vitam traducere iniquum est
Quos decuit sanctos opibus refovere libenter,
Et revereri omnes, habuisse locóque parentum.
M. Dic mihi † sacrilegus quis haberi debeat? *D.* Ille
Qui rapit hæc quæ sint Domino sacrata. *M.* Quis ergo est,

* *De decimis.* † *Et sacrilegis decimarum raptoribus.*

Qui decimis audet Christi fraudare Ministros?
D. Pessimus ille latro est (sic sacra oracula tradunt)
Sacrilegúsque in eo, quod despoliare Tonantem
Audeat his donis quæ sint sibi jure dicata,
Nequitia haud cedens illis qui templa profanant.
M. Quænam debetur * templis reverentia sanctis?
D. Maxima; Scripturis etenim si credimus, illa
Sunt loca sacra Deo, miniméque intranda profanis.
Templa domus meruere Dei dici, in quibus ipse
Et colitur præsens, audit quoque vota piorum.
Gentibus (ut fama est) falsorum fana deorum
Relligio temerare fuit; (res dignáque laude est,
Dum simulachra deos mundus prope crederet omnis,)
Et non relligio nobis temerare verenda
Templa Dei viventis erit, qui condidit orbem?
Proh dolor! in quæ nos mortales tempora demum
Incidimus miseri! in quibus inviolabile nil est,
Nulla Deo summo reverentia, nulla Ministris
Nunc datur; ipsa fides toto pene exulat orbe;
Raráque amicitia est. *Paucos spectamus amicos*
Quos junxit sincerus amor: quos turpia lucra
Multos. Credibile est hæc esse novissima mundi
Tempora: tanta seges vitiorum regnat ubique.
M. Dic quid † amicitia est? (sanctum & venerabile nomen
Illud erat quondam.) *D.* Est conjunctio summa animorum,
Qua duo plane eadem cupiunt, eadem fugiúntque:
Est in corporibus mens una duobus. *M.* At ex te
Tandem scire velim, Qui vir sit amicus oportet?
D. Aptus amicitiæ non est vir omnis, amicus
Sit bonus & fidus, multúmque diúque probatus,
Qui tibi sit vitæ testis, morum quoque censor
(Si

---

* *De reverentia quæ templis debetur.* † *De amicitia.*

(Si quid vel dictis pecces, factíſve) fidelis.
Qui téque admoneat, ſe ſuſtineátque moneri,
Prudens, concilium dare in omni tempore gnarus,
Atque tacere, ubi opus fuerit ; te moribus idem
Et ſtudiis referens ; ſed nec te denique multùm
Aut genere, aut opibus ſuperans. *M.* Dic anne potentum
Credis amicitiam fugiendam ? *D.* Non fugiendam
Eſſe reor, ſi ſint juſti, Dominúmque timentes ;
At magis æquales vellem mihi ſemper amicos :
Optet amicitiam ſapiens vir nemo malorum ;
Talis amicitiæ comites damnúmque pudórque.
M. Quid faciam, ſi quid me turpe rogabit amicus ?
D. Tali, ſi ſapias, aures avertito : amicis
Inſervire decet blandis, SED NON NISI AD ARAM.
M. Veráne amicitia eſt, quam ſæpe, Philippe, videmus
Eſſe malos inter ? *D.* Minimè ; quia vera ea ſola eſt,
Quæ ſit eos inter, quos virtus fecit amicos,
Et junxit pietatis amor. *M.* Quis verus amicus ?
D. Sunt multi læta fortuna utentium amici ;
Rebus in adverſis verus ſpectatur amicus.
Hoc ſignum veri eſt, ſimul & præſtantis amici,
Nil propriæ cauſa facere utilitatis (amico
Si bene quid fecit) ſed amici cui bene fecit.
M. Quæ ſit amicitiæ utilitas, dic te precor ? *D.* Illa eſt,
Ut ſine amicitia non ulla urbs, nec domus ulla
Sed neve ulla diu poſſit reſpublica ſtare. (CIS :
OMNIA (ut eſt vulgò dictum) COMMUNIA AMI-
Imo ea amicitiæ eſt præſtantia, ut emori amici :
Verus amore ſui minimè formidet amicus.
Infœlix nimium, cui deſit amicus, in ipſis
Gaudia cui lætis ſua blandè impertiat, atque
Qui ſibi in adverſis tribuat ſolamina rebus.
M. Dic mihi jam, quanam ratione parantur amici ?

D. Scilicet ingenui virtute parantur amici,
Et, quantum valeas, cunctis faciendo benignè.
M. Quem dicam hunc, qui me ſub nomine fallit amici?
D. Perfidum; & eſt quavis pœna, me judice, dignus,
Quiſquis amicitiæ violat ſacra jura; nec alter
Pernicioſior eſt hoſtis, quam falſus amicus.
M. Ergo nec mendax unquam, nec amicus haberi
Poſſit adulator. *D.* Neuter ſincerus amicus
Eſſe poteſt; ab amicitia eſt alienus uterque.
Hunc ego percuperem mihi ſemper habere ſodalem
Qui vitia, ut par eſt, reprehendet fidus amici,
Promeritaſque dabit laudes virtutibus hoſtis.
M. Pauca audire velim jam de moderamine linguæ,
Pars in eo ſiquidem veræ ſapientiæ, & artis
Rectè vivendi, conſiſtere magna videtur.
D. Sic me ſæpe boni puerum docuere parentes. (que
M. Dic quis ſit * mendax? *D.* Is qui prudénſque ſciénſ-
Falſa animo, ut fallat fratrem, nocéatve, loquatur.
M. An nemo eſt mendax niſi qui ſit falſa locutus?
D. Tam eſt mendax, qui vera refert, quæ falſa putet,
Qui falſum dicit, quod verum noverit eſſe: (quam
Semper adulator mendaci eſt proximus. *M.* Ede,
Quis ſit adulator, quis detractórque ſit. *D.* En qui
Non modo virtutes alicujus, ſed ſimul ejus
Miratur nævos, & ſummis laudibus effert.
Cui ſtudiumque loqui ſemper placitura ſit unum;
Eſt hic adulator, juvenum corruptor, & atra
Magnatum peſtis. Detractor peſſimus ille eſt
Abſentum famam cui ſit lacerare voluptas,
Carpere quemque bonum, gravis omnibus eſſe, odióque.
Affinis detractori eſt, nec criminis expers,

Qui

* *De mendacio.*

Qui forte abſentem lædi cum nôrit amicum,
Immeritóque pati rabioſæ vulnera linguæ,
Non illum quantum poſſit defendere tentet.
M. Ergo aliquando putas ſcelus eſſe, Philippe, tacere.
D. Eſſe ſcelus duco, quid inhumanúmque tacere,
Si damno alterius fiat; ſic qui ſine cauſa
Accuſari audit quemquam, me judice, juſtus
Non eſt; ſi prorſus taceat; ſic forte vocatus
Qui teſtis fuerit ſi non ex pectore totum
Expromat verum, ſi quid premat, eſt inhoneſtus.
M. Nonne eſt injuſtus, qui detractoribus aures
Dat? *D.* Facit hoc alii, fieri quod non ſibi vellet.
Qui altera inaudita ſtatuet parte, hic licet æquum
Fortaſſis ſtatuat, tamen æquus non erit ipſe.
Si deferri, accuſaríque foret reus eſſe,
Quis foret innocuus? non ipſos inter amicos
Pax diuturna foret, nec fratrem frater amaret.
Infœlix Princeps qui delatoribus aures
Det facile; aut etenim inſontes temerarius odit,
Aut ſub pectore ſuſpiciones verſat inanes.
M. Blande puer, ſiquis de te ſit falſa locutus,
Quid facis? *D.* Aut me, ſi ſit opus, defendere tento;
Aut curo ſtolidæ convitia temnere linguæ
Integritate mea fretus: quin ſunt maledicta
Multa, quibus minimè ſit reſpondere neceſſum:
Certè audire malè à ſceleratis maxima laus eſt.
M. Imo ab eis etiam laudari eſt dedecus ingens.
An quis tam factis mendax evadere poſſit,
Quam verbis? *D* Sane; ſic omnis hypocrita mendax,
Mentiri, eſt illud quod non es velle videri.
M. Anne extent unquam mendacia juſta, Philippe?
Sunt etenim qui tentent officioſa tueri
Magnis exemplis. *D.* Nil credo exempla valere

Contra juſſa Dei: nunquam mendacia juſta
Eſſe puto. At quænam mendacia, vir reverende,
Officioſa vocas? *M.* Quæ non ſint dicta nocendi
Cauſa, ſed potius noſcantur dicta juvandi
Hunc cui dicuntur. *D.* Quæ tu pro more Scholarum
Officioſa vocas, aut non mendacia certè,
Atque proinde alio ſunt nomine jure vocanda:
Nam nudæ voces non tam ſunt reſpiciendæ,
(Candidus hoc, hoc ingenuúſque fatebitur omnis,)
Quam mens atque animus ſunt reſpicienda loquentis:
Aut ſi ſint propriè mendacia, nil dubito quin
Officioſa etiam cudens mendacia peccet.
Nempe malum minimè faciendum judico, ut ullum
Inde bonum eveniat. Qui reſpicit utile tantum
Audiat; *Utile id eſſe nequit, quod non ſit honeſtum.*
Hinc caveant omnes, ne quæ officioſa vocantur
Utentes, quæ ſint planè mendacia dicant.
Officioſa vocat mendacia Roma profana,
Hæc quæ judicio cunctorum peſſima habentur;
Diſcipulóſque ſuos miſeros docet æquivocare,
Qua ſola arte boni, qui nunc ſubvertere regna
Orbis amant Socii, ſeſe ſubducere pœnis
Quas multis illi factis meruere nefandis:
Horum nonnulli capti ſubiiſſe feruntur
Supplicium extremum mendacia nota loquentes.
M. Dic mihi, blande Philippe, quid æquivocare ſit? *D.*
Affirmare tuo, quod mente negaveris ipſe, (Ore eſt
His verbis uſus, duplicem quæ admittere ſenſum
Poſſint, qualia erant Oracula dæmonis olim.
M. Omníſne illicita eſt, puer, æquivocatio? *D.* Certè,
Eſt etenim ſpecies quædam mendacii, & una
(Præſertim ſi ſit ſtudio conjuncta nocendi,)
Horrendum crimen, ſermonis fœdus abuſus.

Abſ-

Absque dolo prorsus sit vir bonus omnis oportet;
Non ille ambiguis, sed apertis vocibus usus
Sensa animi profert, & viles respuit artes.
M. An verum semper dicendum est omnibus? *D.* Aut nil
Dicendum planè, aut dicendum judico verum.
M. Est ergo mendax, qui non fortasse nocendi
Causa mentitur, sed quod vir captet ineptus
Inde voluptatem? *M.* Mendax, me judice, namque
Huic fini nobis datus est à Numine sermo,
(Qui nos à brutis possit distinguere solus)
Ut verbis animi conceptus exprimat omnis,
Cui ratio, & linguæ mirandus contigit usus.
M. Dic mihi, quid mendax omnis lucretur? *D.* Ut, ipsi
Nulla fides etiam verum dicenti habeatur.
M. Anne unquam liceat verum reticere? *D.* Videtur,
Si cuiquam id prosit, nulli noceátque, licere:
Est quando expediat verum reticere profectò,
Expedit at nunquam, me judice, dicere falsum.
M. Ergo nefas inter jurandum est æquivocare;
(Da verbo veniam.) *D.* Jurantem aut æquivocare,
Aut alium sensum verbis imponere velle
Juramenti, quam quo verba capessere nôrit
Cui juramentum præstat, scelus esse nefandum
Non dubito, ut quod juramenti omnem auferat usum,
Atque adeo vitæ communis vincula solvat.
M. An liceat * jurare piis? *D.* Jurare licebit,
Justitia ut fiat, testémque vocare Tonantem;
Nam sic constabit, siqua est reverentia summi
Numinis illius, qui hominum perjuria plectit.
At sanè absque gravi causa jurare profani est.
M. Verum qui jurat, non est modo testis, at idem
Sæpe est promissor; dic quid promittere fas sit?
D. Est

* *De jurejurando.*

D. Eſt promittendum tibi, nil niſi quod ſit honeſtum.
Eſt quod tu præſtare bono cum Numine poſſis.
M. Si dubitem, an quod ſim promiſſurus ſit honeſtum,
An careat culpa, dic quid mihi ſit faciendum ?
D. Tam prope ſæpe bonis mala ſunt, ut qui fuerint his,
Qui fines illis, pauci diſcernere poſſint.
Si dubites quid ſit faciendum qualibet in re,
(Verùm ſic dubita, ut pateat te velle doceri)
Ne lædas *Conſcire tuum*, præſtat dubitare,
Quam facere id prudens, de quo dubitaveris ipſe,
Et de quo multos homines dubitare videbis.
Sed fuge, ceu peſtes, auſos promittere, ſæpe
Juramento interpoſito (miſerabile!) quod vel
Ingens eſſe putent crimen promittere, vel quod
Ipſi fortè putent à crimine non procul eſſe.
Inſpector cordis Deus eſt, cor ergo ſtudeto
Simplex & purum retinere, Deóque placere:
Vir animi duplex odium eſt hominúmque Deíque,
Talis enim vellet, ſi poſſet, fallere Numen.
Si dubitas, num quid promittas, tu ſapienter
A promittendo abſtineas, donec tibi conſtet,
Eſſe bonum, quod ſit tibi promittendum, & honeſtum.
Qui contra *Conſcire* ſuum facit, ille miſellus
Peccat, ut id faciens animo quod damnet & horret;
Sed quod in omnibus fortè aliis damnabile non ſit.
M. Dixiſti, jurare quidem, puer, eſſe profani
Abſque gravi cauſa, & verè; jam dic mihi tandem,
Cur malus omnis amat crebrò jurare, Philippe,
De rebus nihili? *D.* Quia novit, quod niſi juret,
Nemo fidem ipſius verbis ſit in orbe habiturus.
M. Eſtne fide dignus talis? *D.* Me judice, non eſt;
Nam qui non metuit temerè jurare, nec ille
Mentiri metuet, ſi forſan id utile ducet

Eſſe

Eſſe ſibi. *M.* An liceat per res jurare creatas?
D. Pars eſt divini cultus jurare per illum
Unum, qui judex mundi eſt, atque omnia novit:
Ergo eſt Impietas per res jurare creatas.
M. An juramentum quod fit per nûmina falſa
Obliget? *D.* Omnino; nam qui per numina jurat
Falſa, (puta idolum) ſi pejerat, haud gravis ulla
Facta ab eo idolo eſt injuria; facta Tonanti eſt,
Quem probro ſummo, dum pejerat, afficit idem;
Omnia perjurus contemnere numina viſus.
M. Nonne eſt morte quidem dignus, qui pejerat? *D* Olim
Omnes plectebant gentes perjuria morte:
Certè in diſcrimen quicunque adducere vitam
Audeat alterius, dum pejerat, hunc puto dignum
Quovis ſupplicio, innocuum quia perdere tentet.
QUOD FRATRI INFERRI VOLUIT, PATIATUR ID IPSE;
Nil eſt lege ſacra, me judice, juſtius illa.
M. Dic, liceátne viris, qui Chriſti numen adorant,
* Belligerare? *D.* Licet, ſi juſtum, ſi ſit honeſtum,
Principis & juſſu, ſi indictum denique bellum:
Legibus atque armis regna orbis ſtare videntur.
M. Dic mihi, quis juſti belli ſit finis oportet?
D. Pax. *M.* An cuncta licent in bello? *D.* Non; neque ſat eſt,
Bellum ut ſit juſtum, niſi legitiméque geratur.
M. Anne hoſti ſervanda fides? *D.* Servanda profectò;
Ut paci, ſic ſunt Bello ſua jura verenda:
Victor magnanimus, victis quoque parcere gaudet.
M. Militis officium quodnam eſt? *D.* Ducis omnia juſſa
Exequi honeſta, libenter adire pericula cuncta
Patriæ amore ſuæ, nullíque injurius eſſe,
Contentus mercede ſua: qui fortis & audax

Miles

* *De Bello.*

Miles haberi optat, se primum vincere discat.
M. Dic, an sponte quidem deceat * servire fidelem ?
D. Hunc etiam servire decet; sed si fore liber,
Atque sui juris queat, omnino id magis optet:
Interea talem servum meminisse juvabit;
Si gnavus, fidus, frugi sit, nempe futurum
Illum libertum Domini, qui temperat astra.
M. Dic, quid debet herus servo præstare? *D.* Alimentum
Imperium mite, exemplum utile, pensa diurna;
Flagráque, si sit opus, sed non nisi lege statuta.
M. An licet * Usuram exercere? *D.* Licere videtur
Exercere illam, quam lex permittit, & una
Fœnora quæ danti prosit, neque mordeat ullum:
At multo melius faciet, qui fœnora temnet.
Sæpe pudor vetuit, quod lex permittere visa est.
Mutuò pauperibus gratis dare muneris instar
Sæpe fuit; certè his qui fœnorat, ille homicida est,
Et fur immanis, miserorum sanguine vivens.
M. Dic, quid de Usuris jubeat lex tradita Mosi?
D. Lege quidem Mosis non accipiebat Hebræus
Fœnus ab Hebræo, fœnus si non genus omne,
Non saltem id mordax, quod tetræ ęruginis instar
Dantis opes, & rem misero consumeret omnem.
Tale quidem fœnus solo captabat ab hoste:
Mores, non ritus respexit lex ea. *M.* Dic nunc
Quid nova lex jubeat? *D.* Nova lex, me judice, majus
Justitiæ studium, majoráque viscera cunctis
Ostendi, quam lex Mosis vetus illa, requirit:
Vinci à Judæo turpe est virtute fidelem:
Damno equidem fratris, qui fratri fœnorat, odit:
Oderit

* *De Servis.* * *De Usura.*

Oderit an fratrem qui juſſus amare ſit hoſtem ?
Quin nos Salvator juſſit dare mutuò egenis,
Nil hinc ſperantes, niſi quod tribuet Deus almus
His qui pauperibus dando ſuper aſtra recondunt
Divitias veras, ſibi manſuráſque per ævum.
M. Quid de mordaci Uſura docuere vetuſti ?
D. Concilia, & Patres, ſimul & ſecli ſapientes
Illam damnarunt omnes, & turpia lucra,
Uſuram latrocinium legale vocantes ;
Terreſtréſque ſimul piratas, denique peſtes,
Qui lucrum facerent poſitis in fœnore numis,
Dum ſua ſpectarent, non publica commoda ; ceu eſſent
Non patriæ nati, nec amicis, ſed ſibi ſolis.
Imo inter gentes quibus eſſet cura pudoris,
Prorſus damnarunt ſuperantia fœnora ſortem.
At quæ damnarunt gentes, impune per orbem
Peſſima temporibus graſſantur fœnora noſtris.
M. Dic, Uſura, puer, quæ ſit laudanda ? *D.* Profectò
Eſt quædam ſpecies uſuræ, quæ tolerari
Poſſit, quæ poſſit laudari, nulla. *M.* Sed audi,
Sunt, queis ſi uſuram non exercere liceret
Ullam omnino (illi pupilli ſunt viduæque)
Diminuenda foret ſors. *D.* Eſto ; at nemo negabit
Eſſe vias alias quibus his ſors creſcat honeſtè,
Aut conſervetur ; vitam tolerare labore ;
Judice me, præſtat, quam fœnore ; nam magis eſt nil
Contra naturam, quam quod ſine fine modóve
Ignavis numos gignant per fœnora numi.
O Uſura vorax, ſeclis incognita priſcis,
Aut ſi nota fores, non una lege repreſſa,
Perdis adhuc pulchráſque domus, urbéſque ſuperbas ?
Tu ſcelerum fœcunda parens, perjuria, fraudes,
Et vis te comitantur ; tu præclara virorum.

De-

Deprimis ingenia, & magnis virtutibus obstas.
M. Quid faciet dubitans de Usura, sítne ea justa, (illud,
Necne? *D.* Ab ea abstineat dubitans, nam qui facit
Quod dubitat, num sit justum, me judice, peccat.
Si videat patriæ permitti legibus illas,
Quas nunc Usuras exercent undique gentes,
Conferat humanas leges cum lege Tonantis;
Nec *conscire* suum quod lædat, fecerit unquam;
(Si sapit haud unquam captabit fœnus ab illo,
Cui prodesse quidem non nôrit pendere fœnus;
Prodigo ad usuram nunquam dabit ille monetam,
Nec faciet, quod cum fraterno pugnet amore.
In rebus cunctis erit illi Regula sancta,
Non facies alii, fieri quod non tibi velles,)
Atque sciat certò, facientem (quicquid id est) quod
Ipse quidem tacitè damnet, peccare necesse.
Ille supra humanas leges sit justus oportet,
Qui sese Domino servum præstare fidelem
Optet, deliciísque ejus gaudere per ævum.
M. Dic, bona Sanctorum * num sint communia jure.
D. Jure quidem non sunt, sed sunt communia amore;
Sunt velut *omnia amicorum communia*: verùm
Relligio haud tollit, sed servat quæ sua cuique
Pauperibus tu largus eris, dabis atque libenter;
Sed dabis ex illis quæ sunt tua, non aliena.
Qui sit munificus cunctis prò viribus, illum
Esse in eo similem cœlesti credo Parenti.
At non munificum duco, qui prodigus extans
Has disperdit opes, prosit quibus omnibus, & qui
His dando quibus haud sit opus; fraudare videtur
Pignora chara, inopésque, gravésque ætate parentes.

M. Dic

* *Num bona Sanctorum communia?*

M. Dic, uter illorum, ſit pejor, avarus, an ille
Qui diſperdit opes, & prodigus audit? *D.* Avarus
Plus nocet humano generi, quia nempe ſit hoſtis
Tam ſibi, quam reliquis cunctis, & publica peſtis;
Ut porcus, nulli, niſi cum perit, utilis idem.
M. Dic mihi, blande puer, quæ ſit * communio ſanctis?
D. Illa eſt; quod ſanctis extet Deus & Pater unus,
Unus Servator JESUS, & Spiritus unus,
Lex una, una fides, unum genitale Lavacrum,
Myſtica menſa una, & ſpes omnibus una ſalutis;
Hæc nos eſſe docent inter nos, & ſimul uni
Chriſto, ceu capiti, conjunctum corpus amore;
M. An vita functi ſunt partes corporis ejus?
D. Corporis illius partes, ſacra membráque Chriſti
Sunt Sancti quotquot vixere ab origine mundi:
Hinc † Eccleſiæ in hoc mundo pars militat una,
Cum Chriſto in cœlis jam nunc pars altera regnat.

* *De Communione Sanctorum.* † *De Eccleſia militante & triumphante.*





ΠΕΡΙ ΑΡΧΩΝ,

Sive

De Principiis Religionis Chriſtianæ,

LIBER SEPTIMUS.

MAGISTER, DISCIPULUS.

M. DIC mihi, quandoquidem noſtræ my-
(ſteria ſanctæ
Relligioni inſint, quot * Sacramenta
(tremenda
Inſtituit JESUS dum in terris
(degeret? *D.* Illum
Credimus inſtituiſſe duo, & juſſiſſe fideles
Cœtibus in ſacris hæc concelebrare per ævum,
Baptiſmum & Cœnam Domini. *M.* Sed ſcire peropto,
Quid † Sacramenti vis nomine ſignificare?
D. Hoc Sacramenti nomen ſignare videtur;
Externum quoddam ſignum, quod lumine poſſit
Diſcerni, at donum quod ſignet ſpirituale,
Donúmque obſignet dignè accipientibus illud
Signum;

---

* *De Sacramentis.* † *Sacramentum quid ſit?*

Signum ; Gratiæ item pignus credentibus extet.
M. Hæc Sacramenti ſi definitio vera eſt,
Sacramenta quidem non poſſunt eſſe ea quinque
Quæ Sacramentis Romana Eccleſia falsò
Annumerare ſolet. *D.* Propriè ſic dicta profectò
Non ſunt Sacramenta, quia accipientibus illa
Donum planè nullum obſignent ſpirituale.
Cæterum id omnino cum priſcis ſentio, nempe
Poſſe libris ſacris meritò tot ineſſe videri
Sacramenta, quot inſunt voces. *M.* Sentis id ipſum
Quod ſentire Dei viſa eſt Eccleſia ſemper.
Quis Sacramentum inſtituat? *D.* Certè inſtituendi
Ille Sacramenti divinum jus habet unus
JESUS, qui fidei dator eſt, auctórque ſalutis.
M. Quot Sacramento ſunt partes, dic mihi? *D.* Binæ,
Viſibile illud ſignum, & Gratia ſpiritualis.
M. Viſibile id ſignum quodnam in * Baptiſmate ſacro?
D. Unda in qua credens immergitur, atque lavatur,
Dum Patris, Natíque ſimul, nec non Paracleti
Invocat Antiſtes ſuper hunc venerabile Nomen.
M. Dic, quis † Baptiſmi fructus credentibus extet?
D. Eſt peccatorum veniam obtinuiſſe, fidéque
In Chriſtum generis noſtri deponere ſordes:
Scilicet ut pura luſtrantur corpora lympha,
Sic purgari animas pretioſo ſanguine Chriſti
Myſtica ſignificat mortalibus unda renatis.
Cumque ſit omnis homo naturâ filius iræ,
Servus peccati, baptiſmate filius idem
Fit Patris, immenſum qui cœlum numine complet.
Abluitur corpus, mens ipſi lumine blando
De ſummo cœlo perfuſa renaſcitur undis,

O 2 De-

* *De Baptiſmo,* † *Baptiſmi fructus Remiſſio peccatorum.*

Defcendit peccans, purúfque à crimine furgit.
Frons pro more Crucis munitur imagine fanctæ;
Ut fciat hoc figno, quod deinde fit acre gerendum
Illi cum vitio, & tenebrarum principe bellum.
M. Quid nobis porrò facrum Baptifma figurat?
D. En nobis Chrifti mortem Baptifma figurat,
Atque fepulturam, facra hac fub imagine monftrans
Qui confors Chrifti mortis, confórfque fepulchri eft,
Peccato debere mori de fonte * renatum,
Cum Chriftóque novæ debere refurgere vitæ.
M. Ede novæ quæ fint naturæ femina? *D.* Verbum,
Spiritus, & lympha, his generantur pignora Patri,
His & hæredes cœlo propagantur in orbe.
M. Quid faciat, quicunque ambit genitale † Lavacrum?
M. Pœniteat vitæ anteactæ, vitiúmque perofus
Virtutem colat, & renovari mente laboret.
Peccata ex animo fateatur judice coram
Cuncta fciente Deo (coram populóque fideli,
Si fit opus, facilè veniam peccata fatenti
Dat Deus unigenum Natum dum refpicit, illum
Agnum morte fua qui mundi crimina tollit;)
Offerríque Dei Nati fibi voce falutem
Credat; & illius promiffis fidat, amore
Qui capitur noftri, qui falli aut fallere nefcit.
Denique conetur duce Chrifto, ut vita fit ipfi
Candidior, quam fit veftis qua membra teguntur.
M. Si fic femet habet res, dic mihi, blande Philippe,
Cur || infantibus, & quos credere non finit ætas,
Sæpe falutiferis tingi conceditur undis?
D. Hunc ab Apoftolicis vifa eft Ecclefia morem

Ac-

* *Et vitæ renovatio.* † *De officio illius qui baptizari cupit.*
|| *De baptifmo infantium.*

Accepiſſe viris (fieri neque lex vetat Alma)
Ut per ſponſores ubi promiſere daturos
Nomina ſe Chriſto vera pietate fidéque,
Ad ſacrum infantes ducantur rite Lavacrum,
Quo Chriſti fiant & vivida membra renati,
Et cœli hæredes, & pignora chara Tonantis.
At ne ideo quiſquam pietatem deſerat, ipſe
Quod Domino fuerit teneris ſacratus ab annis,
Credimus infantem cum ipſi maturior ætas
Venerit, officia hæc demum præſtare teneri,
Quæ ad fontem illius promiſit nomine Sponſor.
Quin fidus ſponſor puerum jam Relligione
Imbutum coram venerando Præſule ſiſtit,
Ut promiſſa ſuo quæ nomine facta fuerunt
In ſe ſuſcipiat puer, & ſeſe obliget ipſum;
Gratiam & accipiat, dum Præſul nomine Chriſti
Imponit palmas puero, & bona cuncta precatur.
M. An per * Sponſores promittant pignora quicquam
Noſtra Deo? *D.* Certè; Domino nam fœdere jungi
Quid vetat & patres, & qui naſcentur ab illis?
Conſtat enim Dominum cum Abrahamo Patre fidelium,
Et ſimul illius cum ſemine fœdus inîſſe:
Fœderis antiqui ſi infantes rite fuerunt
Participes omnes, cur non quoque fœderis îdem
Sint pars magna novi, nec amore fidéque parentûm
Fiant membra Dei, cum pignora talia ſummo
Sint accepta Patri & Chriſto, qui dicitur ore
Infantes laudaſſe ſacro? quin Paulus & ipſe
Eſſe quidem dicit credentûm pignora ſancta.
M. Cur priſci quidam, natíque parentibus illis
Nomina qui Chriſto dederant, genitale Lavacrum

 Non

* *Reſpondetur cavillationibus Antipædobaptiſtarum.*

Non ſubiere priùs, quam eſſent ætate virili,
Atque ſuæ fidei rationem reddere poſſent?
D. Semper in exemplum priſcorum facta trahenda
Non ſunt; ſed ſcriptis ſunt omnia facta probanda
Sacris, Catholicæ venerandi ſunt quoque mores.
Catholica in terris Eccleſia credidit alma
(Ne noſtri infantes eſſent in conditione
Pejori, quam ſit Jacobi dura propago,)
Circumcidendi ritum Baptiſma ſecutum,
Baptiſmóque dari teneris infantibus ipſis
Pacti cum Domino renovati nobile ſignum.
Certè ſi culpam, qua infecti naſcimur omnes
Fœderis unius ſacri virtute remitti
Credimus his teneris, cur culpæ itidémque remiſſæ
Non detur ſignum, divini pignus amoris?
M. An detur Baptiſma infantibus omnibus æque?
D. Non; ſed eis ſolis quos progenuere parentes
Qui rerum Domino ſunt ſacro fœdere juncti.
Soli Abrahamo etenim Domini promiſſio facta eſt;
Quod foret illius Deus, unà & ſeminis ejus:
Semen Abrahami ſunt omnes jure fideles,
Et nati illorum, Domino quia fœdere juncti.
M. Quid nobis ſperare licet de * infantibus illis
Qui mox à ſacro baptiſmo obiere renati?
D. Salvari ſpero, ut qui jam ſint ſanguine Chriſti
Peccati immunes (ejus quod *originis* audit)
Facti, quique brevem (ſic certè credere fas eſt)
Haud ullo proprio maculârint crimine vitam.
M. Tune perire putas † infantes qui moriuntur

Ante

* *Salvari infantes fidelium qui mox à baptiſmo moriuntur.*
† *Quid ſententiendum ſit de infantibus qui moriuntur ante quam baptizentur, item de infantibus infidelium.*

Ante quidem ſacro quam ſint baptiſmate tincti?
D. Durus inhumanúſque forem ſi mens mihi talis
Eſſet; ego unius renovati fœderis almi
Virtute infantes ſalvari credo fidelium,
Etſi baptiſmi expertes in limine vitæ
Extincti fuerint caſu, culpáve parentûm:
Infantes Domino qui non ſunt fœdere juncti
Si præmatura rapiantur morte; relinquo
Ejus judicio, cujus clementia fines
Non habet; illorum omnipotens miſereſcere novit.
De morte æterna quæ infantibus accidat ullis
Si Scriptura tacet ſacra, nóſque tacere decebit.
Non patet ex ſcriptis ſacris in luce ſuprema
Judicium infantes ſubituros, vel ſtatuendos
A dextra inter oves, inter capróſve ſiniſtra;
Sed quiſque accipiet juxta quod fecit in orbe,
Præmia vel pœnas à juſto Judice Chriſto.
Tutiùs eſt horum quibus uſus ſit rationis
Nunquam conceſſus certè ſperare ſalutem;
Sic tamen ut vitæ Chriſti mors cauſa ſit illis.
Tales ſunt cœli cives, clamavit IESUS,
In ſacris ulnis pueros cum fortè teneret,
Et ſimul his blandè benediceret, oſcula figens.
Quis demum ætatem tenebris damnare tremendis
Audeat innocuum, dum vox ſonet illa Magiſtri,
Quo ſint infantes apud Illum in honore docentis?
Quiſquis, ait, *pueros non morum ſimplicitate,*
Et candore animi, puróque imitetur amore,
Nequaquam ſperet cœleſtia regna videre.
Illud de pueris dixiſſe probetur IESUM
Qui perveniſſent aliquem rationis ad uſum,
Non aliter morum nobis exempla futuri:
Scilicet ætatis teneræ vel judice mundi,

Chriſto,

Chriſto, Simplicitas, animi ſubmiſſio, candor,
Ingenuúſque pudor ſunt omnibus æque imitanda
His qui diſcipuli veri optent Illius eſſe.
M. Qui ſit ab Hæreticis ſacro * baptiſmate tinctus
An debet rurſus genitalibus ire ſub undis?
D. Si talis tinctus ſit in ipſo Nomine ſancto
Patris & unigeni Nati, ſimul & Paracleti,
Non debet rurſus genitalibus ire ſub undis.
(mendam?
M. Cur † Cœnam inſtituit Dominus, menſamque tre-
D. Inſtituit Cœnam monumentum illuſtre futurum
In peccatores immenſi illius amoris,
Victima pro nobis fieri cum vellet IESUS.
M. In Cœna Domini, quæ ſunt ea ſigna videri
Quæ poſſunt oculis? *D.* Panis vinúmque per ævum
Quæ moriens ejus memores nos ſumere juſſit.
M. Quid pane in cœna, quid vino ſignificatur?
D. Pane ſacro & vino, corpúſque & ſanguis IESU
Signantur liquido; quæ ſumit quiſque fidelis
Ore elementa quidem, ſed mente animóque benigni
Et corpus Domini, Domini ſacrúmque cruorem.
Quamvis ſpiritualiter id ſit, re tamen apſe
Accipitur corpus, bibitur quoque ſanguis IESU.
Quinetiam Chriſti mortem ſacra Cœna cruentam
(Pane quidem fracto, fuſo in Crateráque vino)
Exhibet his oculis, animum reficítque videndo.
Denique in hac Cœna Chriſti celebramus honores;
Inque Cruci affixo (Crux Chriſti eſt gloria noſtra,
Atque triumphus,) nos ultrò ſperare fatemur,
Sed qui venturus ſit Judex totius orbis.
M. Cur unus panis, cur vinum ſumitur unum?
D. Id

* *De Baptiſmo non iterando.* † *De Cœna Domini.*

D. Id nos esse unum corpus signare videtur;
Nam velut ex granis panis fit pluribus unus,
Ex multísque uvis vinum depromitur unum:
Sic nos cum multi simus, corpus sumus unum.
M. Quomodo in hac Cœna præsens est corpus IESU?
D. Designando modum quo Christi corpus in alma
Cœna sit præsens homines errâre superbi,
Quo fidei corruperunt & simplicitatem
Et deridendam propinavere profanis.
Quod dixit JESUS, qui nescit fallere, panem
Et vinum esse piis, id credo hæc firmiter esse,
Nempe ejus corpus sanctum, sanctúmque cruorem;
Et gratus veneror sacræ mysteria Mensæ.
Credo confiteórque, modum fore spiritualem
Omnino, Cœna quo Christi corpus in illa est;
Nec pasci ventrem, sed mentem corpore sancto.
M. Non ergo in Cœna credis * mutari Elementa,
Et panem fieri carnem, vinúmque cruorem;
Ut nunc dente suo carnem discerpat IESU,
Ejusdémque sacrum bibat impius ore cruorem.
D. Non mihi tam mens est levis, & cœlestium inanis,
Ut credam quæ sint scriptis contraria sacris,
Et quibus omnino sensus ratióque reclamant.
Se propria tenuisse manu quis credet IESUM?
Sit licet omnipotens, sibi contradicere nescit,
Nec facere, ipse ut sit semet diversus ab ipso;
Ut simul in partes frangatur, & integer extet;
Aut in mille locis momento existat eodem
Una eadémque caro, quæ nunc super astra recepta est.
M. Nonne suum corpus panem, vinumque cruorem
Nuncupat ipse suum? D. Certè; sed quis nisi demens
Hinc

* *De Transsubstantiatione.*

Hinc rerum naturam aboleri existimet, atque
Signum cum re signata confundere tentet?
En fructum vitis Dominus vocat illud IESUS,
Quod paullo antè suis porrexerat ipse bibendum.
Gens Hebræa solet rerum dare nomina signis;
Exempla evincent: sic Christus Petra vocatur,
Quod Christi signum foret; insuper Agnus Hebræis
Pascha appellatur, quia signum Paschatis esset;
Denique quæ Patribus data Circumcisio, fœdus
Dicitur esse Dei, quia signum fœderis esset.
Sæpe elementa vocant Patres sacra Symbola Christi
Corporis, ejusdémque typos, itidemque figuras.
Hæc, aiunt, *dici meruerunt corpus IESU*,
Quod sint signa sacra immaculati corporis ejus.
Non ea nuda quidem, sed quæ dent accipienti
Signa fide viva, rebus gaudere; proinde
Non credo panem mutari in corpus IESU;
Nec vinum in sacrum mutari credo cruorem:
Natura id quod erant panem vinúmque manere
Credo cum priscis, tantùm mutarier usu.
Absque fide prodest animæ nil corporis esca,
Is Christi corpus, qui Christo credidit, edit.
Si Christi carnem discerpere dente daretur,
Prodesset nulli sic manducàsse; sed ille
Sævitiam posset fortasse æquare ferarum
Qui patraret, prorsus inhumanúsque videri,
Carne salutifera sed non frueretur IESU.
M. Et quid monstrosum tutantes dogma Sophistæ
Dicunt? *D.* Quod panis color & sapor, atque figura
Absque omni panis substantia in aëre pendent:
At, præterquam quod secum hæc sententia pugnet,
Suadeat & contra planè experientia, dico;
Quod si rebus in his, quæ sensibus objiciuntur,

Fal-

Fallantur sensus (non unius, alteriúsve,
Sed cunctorum hominum) nil sciri posse sequetur,
Atque ruent adeo fidei fundamina nostræ.
M. Cur? *D.* Certè Ratio est cuivis satis obvia; namque
Si positis mediis his quæ natura requirit,
(Organa nimirum tibi si sint omnia sana,
Si tibi sana simul mens sit,) tu non tamen illis
Aut oculis semper fidas, aut auribus, illi
Qui videre Dei Nati miracula, certò
Scire nequiverunt, sese hæc vidisse, nec illa
Quæ verba audiverunt se audivisse; adeóque
Cuncta simul reddi dubia atque incerta necesse est.
Omnia quæ Christus miracula fecit in orbe,
Fecit ita, ut scirent omnes ea facta fuisse.
Cum mutaret aquas in vinum, protinus omnes
Percepere suis id sensibus, & generosum
(Mira fides!) vinum factum gustando probàrunt.
Cum vita functo daret idem exire sepulchro,
Magna resurgentem conspexit turba, Deúmque
Laudavit, dantem miracula tanta patrare.
Nil in eo omnino simile est (velut ipsa fatetur)
Quod pro magno Roma velit miraculo haberi;
Sed falsum omnimodis rationibus esse probatur.
Panis habet panis, vinum viníque colorem,
Et, quæ habuere, priùs quam sint sacrata, saporem;
Denique quicquid eis Elementis accidat, omne
Id retinent, etiam postquam pro more sacrentur.
Infelix soboles insani dogmatis hujus
(Impia quod Babylon ferro flammísque tuetur)
Illa est, quod panis viníque Elementa sacrata
Heu misero populo jam facta idola colantur,
Et Deus almus sub panis latitare figura
Credatur, sed quem malus omnis devoret, & per
Viscera

Viſcera tranſmittat; quod ſacro denique Chriſti
(O dictu horrendum!) veſcantur corpore mures.
Scilicet abſurdum (fieri quod ſæpe videmus,)
Unum ſi ponas, ex illo mille ſequuntur.
Præterea ſi nulla datur mutatio talis
Panis vel vini, qualem ſibi Roma figurat;
Si natura ſacris manet incorrupta elementis;
Eſt idolorum cultrix ſe judice Roma.
M. An vetus eſt error, ſic credere ſacra Elementa
Mutari in Cœna, ut nunc credit turbida Roma?
(Si credit ſanè; nam plurima Roma tuetur
Dogmata, quæ minimè jam credere viſa ſit ipſa;
Multa docet lucri cauſa, multa ambitionis,
Imperium mundi meditans.) D. Damnabilis error
Quo panis colitur, panis Deus eſſe ſupremus
Creditur, (ipſe Deus, qui cœlum numine complet,)
Non adeo vetus eſt, INDOCTO SECULO, ut omnes
Nôrunt, excuſus: ſed demus id, inveterâſſe (OMNI:
Errorem hunc, FALSO VERUM EST ANTIQUIUS
Quod primum, id verum, Patris eſt ſententia priſci.
Quamvis canitiem jactet malè ſæpius error,
Non tamen eſt ideo, ætatem quod jactet habendus
Pro vero, cui nulla quidem Præſcriptio, nulla
Vis unquam noceat, cum ſtet fundamine firmo,
Nempe Dei verbo, quod in omnia ſecula durat.
Ex Auguſtino juvat hic adjungere pauca,
Quæ Patrem hunc cum Roma non ſenſiſſe docebunt.
Scripturæ ſenſus duplex agnoſcitur, inquit,
Scilicet eſt alter quem nobis litera, & alter
Quem det Spiritus: ergo ſi quid litera nuda
Immanis ſceleris videatur fortè jubere,
Quale eſt id, Carnem JESU diſcerpere dente,
Literulam fugito, ſenſum cape ſpiritualem:

Sin

Sin jubeat quod sit justum, tu quærere sensum
Noli spiritualem; est litera sola sequenda.
M. Aurea dicta refers. Nec tu, puer optime, credis,
Quam Deus * assumpsit nascendo ex virgine carnem,
In qua passus erat, cœlúmque ascendit IESUS,
In cœna cum pane fore, aut sub pane latere.
D. Non credo; quoniam Christi caro sancta habet illa
Finibus includi certis, nec ubique locorum est;
Sed sedet in cœlo ad dextram Patris omnipotentis,
Atque ibi dum veniet lux illa suprema, sedebit.
Credo cum priscis distinctas proprietates
In Christo JESU naturæ utriusque manere:
Qua sit homo in cœlis, qua sit Deus almus, ubique est,
Non tribuo humanæ naturæ, quæ tribuenda
Divinæ soli: qui tempore credit eodem
Esse in mille locis ter sanctum corpus IESU,
Nonne ille humanam naturam destruit ejus
Qui tam verus homo est, quam verus sit Deus idem?
Non nôrunt quantum signum re distet ab ipsa
Cujus sit signum, quibus (hei mihi! cætera doctis,)
Hæc naturalis placuit præsentia carnis,
Cui ratio, & sensus, vóxque ipsa repugnat IESU.
M. A calice an populum fas est arcere fidelem?
D. † Sacrilegum omnino est, quia jam moriturus IESUS
Ex calice hoc, inquit, *Bibite omnes, est meus ille*
Sanguis, O Socii, vestri fundendus amore.
M. Sub || specie panis num Christi sanguis habetur?
D. Commentum planè est, ridendáque fabula; namque
Ni panis signum carnis, vinúmque cruoris
Esset, cur Dominus recipi mandaret utrumqe?

P Per-

---

* *De Consubstantiatione.* † *De Communione sub utraque specie.* || *De doctrina Concomitantiæ.*

Perque annos multos Ecclesia utrumque recepit.
M. In Sacramento Christum ipsum offertne Sacerdos?
D. In Cruce se Christus semel obtulit ipse Parenti
Pro nobis miseris, qui cum foret hostia sancta,
Et perfecta simul, non certè habet ille necesse
Ampliùs offerri, quod sanctus Doctor Hebræis
Scribens eloquio mirando flumine monstrat.
M. Dicitur at Patribus sacra * Cœna hæc victima priscis.
D. Non dubito omnino, quin Cœna hæc victima priscis
Dicatur Patribus, quia & ejus victimæ in orbe
Qua puri efficimur, sit commemoratio justa,
(Vera illius imago, quam Pastor bonus ille
Ut teneras servaret oves Patri obtulit olim;)
Et laudum in Cœna hac, quia victima grata Tonanti
Apponatur ubique: En sunt altaria nobis
Quorum Participes non sunt legalibus umbris
Judæi affixi, sed nec simulachra colentes.
M. Quis venit ex cœna fructus, † quæ gratia sanctis?
D. Æternus fructúsque animis, & Gratia summa:
Ut pane & vino recreantur corpora nostra,
Corpore sic alitur mens nostra, & sanguine Christi.
Namque caro cibus est, & potus sanguis IESU,
Ast animæ cibus & potus, non corporis hujus:
Nil carnem prodesse puto, sed Spiritus almus
Nos jungit Christo, cumque illo nos facit unum.
JESUS ille quidem est panis qui venit ab alto
Cœlo hominum pascens animas, virtutis amore
Replens, expurgans vitia, & dans vivere in ævum.
Denique, quod pactum fuit in Baptismate sacro
Fœdus, in hac Cœna renovatur sanguine Christi.
M. An sæpe est populo Cœna hæc celebranda, Philippe?
D. Sæpe

* *S Cœna qua ratione dicatur Sacrificium.* † *Quis fructus sacræ Cœnæ.*

D. Sæpe ſacra hæc Cœna eſt populo celebranda fideli;
Ut ſic ſe præſtent memores illius amoris,
Qui dignatus erat pro nobis ponere vitam.
Dum viguere fides, pietas, concordia fratrum,
Qualibet Hebdomada celebrari hæc Cœna ſolebat:
At quis ſat noſtri deploret crimina ſecli!
(Ultima ſunt, adeóque nequiſſima tempora mundi,)
Hic fugit ingratus; Menſam ſacram ille profanat,
Aut vino, (ut mos eſt) aut deditus aleæ, adulter,
Aut qui ſepoſitos nummos veneratur, avarus,
Impius, aut iram condens ſub pectore ſævam.
M. An corpus comedat Chriſti, capiátve cruorem
* Impius in ſacra hac, admirandáque Synaxi?
D. Non; quoniam unius eſt hominis cibus ille renati.
M. At quid in hac Cœna ſacra capit impius? *D.* Ille
Judicium capit, utpote qui violare tremendam
Non metuit menſam, & mortis reus extat I E S U.
M. Fáſne † Sacerdoti eſt Cœnam celebrare tremendam
Ipſe eſt dum ſolus, longéque à plebe remotus?
D. Nec legi id Chriſti, nec Cœnæ convenit almæ
Naturæ, ut ſolus celebret, ſumátve Sacerdos.
Væanales animæ morem invexere, repugnet
Qui ſcriptis, rationi, & priſci moribus ævi;
Quem morem introduxit amor ſceleratus habendi,
Suaſit avarities, atque auri cœca cupido
Sacrificis populo privatas vendere Miſſas.
M. Si non || intendat panem vinúmque Sacerdos
Conſecrare, (licet videas ipſum illa ſacrare
Pro more expreſſis verbis;) Chriſtíne fidelis

* *Impios nec corpus Chriſti manducare, nec ſanguinem ejus bibere in S. Cœna.* † *De Miſſis privatis.* || *De intentione Sacerdotis.*

Corpore eo pacto fraudabitur, atque cruore?
D. Nequaquam; siquidem si non Elementa Sacerdos
Intendat sacrare, (licet sacret,) illius id sit
Unius culpa; officium tibi nêve nocebit
Dum facis ipse tuum, proprium quod negligat alter.
Quod si vera forent, quod turbida Roma tuetur,
Vim Sacramenti pendere ex mente Ministri,
Haud certò sciret quisquam, (nam quis nisi Numen
Corda hominum inspectat?) sacro tinctúsne Lavacro,
Corpore & an Domini pastus sit; sed neque certò
Papa quidem sciret factúsne sit ipse Sacerdos?
Hæc sunt monstrosa, hæc enormia dogmata Romæ,
Illa quibus semet, velut ebria, confodit ipsam.
M. Anne Sacramenti vis * improbitate Ministri
Tollitur? *D.* Haud credo tolli improbitate Ministri.
Quid vetat æternæ præconium hunc esse salutis,
Ipse sua qui sit culpa periturus; & esse
Illum qui virtutem aliis persuadeat, ipse
Dum sit mancipium vitiorum, & pessimus idem?
Sic aliis vidi qui panderet ostia, quando
Ipse domo exclusus merito foret, atque rejectus.
Si dignus fuero sacræ huic accedere Mensæ,
Accipiam Christi corpus, Christíque cruorem,
Sit licet ipse malus qui sacra Elementa ministrat.
Veridicus Deus est, homo mendax sit licet omnis;
Quodque ex ore Dei semel exit, stabit in ævum.
M. Divinum non liceat † cultum tribuisse Elementis
In sacra Cœna? *D.* Semper scelus esse putavi
Divinum cultum rebus tribuisse creatis.
M. Anne tibi || Cœnam Domini celebrare videntur
Hæ-

* *Malitia Ministri non tolli efficaciam Sacramenti.* † *Elementa sacra non adoranda.* || *Hæreticos Cœnam Domini non celebrare.*

Hæretici? *D.* Minimè; nam nève Altaria sancta,
Nève Sacerdotes sunt illis ritè vocati:
Ergo nec Cœnam celebrant, quam jam moriturus
Instituit JESUS, quæ totum jure per orbem
Esca animæ, vitæ æternæque fidelibus audit
Antidotus. Nobis est Una Ecclesia sancta,
Unum altare sacrum, quod qui fugit, ille profectò
Pane Dei privetur oportet, martyre teste.
Hic panis sic est unus, velut unus IESUS;
Et datur his solis, qui corporis illius extant
Vivida membra, Deum ceu pignora chara secuti.
Illen' edet Christi carnem, Christíne cruorem
Ille bibet, qui sacram illam violare sit ausus
Pacem, qua sola (si Christo credimus ipsi,)
Veri discipuli cognoscimur illius esse.
M. Quid faciendum illi est, qui sacræ accedere Mensæ
Optet? *D.* Non leviter * talis se examinet ipsum,
An se pœniteat scelerum quæ admiserit unquam?
Oderit an vitium? an flagret virtutis amore
Cor illi? renovari animo studeátne? fidèmne
Promissis habeat? spes illi sítne videndi
Ora Dei in cœlo? memori sub pectore condat
An mortem Christi pretiosam? an fratribus idem
Det veniam cunctis? an & hostes diligat ipsos
Ejus amore, suam placuit cui ponere vitam
Pro nobis miseris? Hæc si quis fecerit, Almæ
Accedat Mensæ, superûm conviva futurus,
Cum suprema dies veniet conviva Tonantis.

---

* *De officio illius qui ad sanctam Cœnam venturus sit.*

M. Si quid post Baptisma sacrum * peccatur an illud
Posse remitti credis? *D.* Credo id posse remitti;
Dat resipiscenti veniæ spem semper IESUS:
Est Servatoris tanta indulgentia nostri.
M. Num scelus excusat quævis inscitia juris?
D. Nunquam visa mihi fuit ulla inscitia juris
Excusare scelus, nisi quæ insuperabilis esset:
Affectata quidem est inscitia crimen & ipsa.
M. An venialia sunt quædam † peccata, vel an sunt
Cuncta ea quæ mortem mereantur? *D.* Cuncta mereri
Mortem per se æternam credo; tolle Tonanti
Viscera, peccantem æternúmque perire necesse est:
Nec peccata proin paria omnia quis putet esse.
M. Quandoquidem in Christo credas peccata remitti,
Cur || peccanti Spiritum in Almum nulla supersit (quam
Spes veniæ? *D.* Offensus quoniam huic præcordia nun-
Spiritus inspiret, quo, ut par est, criminis unquam
Pœniteat talem, pereat sed durus oportet.
Sunt scelera omnino, quibus obduratio cordis
Pœna sit; auxilíque Dei subtractio, justa.
M. Quale fuit scelus id, quod nunquam posse remitti
Ait JESUS, & cui claudentur viscera sacra?
D. Summa erat impietas, horrenda calumnia, secta
Qua Pharisæa olim famam lacerabat IESU.
Quidam ejus sectæ cum dæmonas ejicientem
Vidissent JESUM verbo, clamâsse feruntur,
(Horresco referens,) En dæmonas ejicit ille
Dæmonis auxilio; cum scirent talia posse,
Non nisi divina prorsus virtute patrari.

Hunc

* *De Remissione peccatorum post Baptismum.* † *Peccata omnia per se mortalia esse.* || *De peccato in Spiritum S.*

Hunc socium inferni sunt ausi dicere, factis
Quem videre bonis inferni perdere regnum.
Imo licet Natum bene nôrunt esse Tonantis,
Invidia pleni Christum tamen esse negabant.
Tale fuit crimen blasphemia Spiritum in Almum,
Quale quidem nemo facilè committere possit,
Is nisi nequitia Pharisæos vicerit ipsos.
M. Unde sciat quis * peccatúmne admiserit illud,
Necne; quia illius video formidine multos
Jam torqueri animo, jam desperare salutem?
D. Hoc grave peccatum haud admisit, quem Deus un-
Peccati ex animo se pœnituisse videbit: (quam
Spiritum in hunc peccans Christum neget usque necesse
Oderit atque Deum, qui mundum condidit, imo (est,
Invidia impuros ipsos vel dæmonas æquet.
Nam fieri haud possit planè, ut qui credit in illum
Qui mortem vicit, pereat damnatus in ævum,
Ipse licet peccatorum vel maximus extet.
M. Nonne affine fuit seleri huic scelus Iscariotæ,
Innocuum morti Dominum tradentis acerbæ?
D. Huic affine fuit sceleri, si non scelus ipsum.
Agnita cui lux est odio, hic aut criminis ejus
Est reus, aut certè non longè est crimine ab illo.
M. † Jamque Sacerdotum dic quæ sint munia sacra?
D. Pascere oves Christi verbo exemplóque, precésque
Fundere pro populo, grates persolvere dignas
Cœlesti Patri (qui dat bonus omnia gratis,
Ingratísque simul,) peccatáque nomine Christi
Condonare afflictis, Sacramenta tremenda
Rite ministrare, & diras infligere pœnas
Illis, qui cum peccârint, resipiscere nolunt:

Nempe

---

* *Impœnitentiam finalem semper comitari peccatum in Spiritum S.* † *De officio Sacerdotum.*

Nempe Sacerdotum est illos à corpore sacro
Putrida membra velut penitus rescindere Christi.
En est illa viris concredita sacra potestas,
Ut quos ritè ligent, quos absolvántque per orbem,
Hos Deus in cœlo ligat, absolvítque supremo.
M. Ergo malos homines Ecclesia * segreget à se?
D. Maximè; & hoc ipso nihil æquius est, quia multis
Sæpe bonis nocuit socios habuisse profanos.
M. An cogi debet mens verum amplectier unquam
Illis, quas subeunt mortalia corpora pœnis,
Carceribus, vinclis, flagris, simul exiliísque?
D. Haud credo; quia nemo potest sentire, nisi illud
Quod ratio suadet, quod mens quoque libera prendit.
Imperet haud sibi quisquam, ut credat quod volet ipse:
Si suadere velis, absit vis omnis oportet.
Est Ecclesiæ Apostaticæ illis artibus uti,
Vi flammísque suas in partes cogere mundum.
M. Num sunt † Hæretici multandi morte superbi?
D. Non sunt; sed potius tractandi leniter omnes,
Et convincendi rationibus alma ministrat
Quas Scriptura Dei, cujus verbo hæresis atra est
Profligenda omnis; non ferro aut ignibus unquam.
M. Dic tandem, hæretico fieri quid debeat illi,
Qui monitus nolit resipiscere, sed malesanus
Spargere per populum pergat sua dira venena?
D. Absque mora cœtu Sanctorum excluditor ille.
M. Quid si prætextu (sæpe ut fit,) Relligionis
Cuncta licere sibi credat quis? *D.* Plectitor idem;
Relligio non est, vitiis quæ laxet habenas,
Sed summa impietas, planè reprimenda severis
Legibus, ut discant homines non temnere Numen.

* *M.* Blas-

---

* *De Excommunicatione.* † *Hæretici quomodo tractandi.*

*M.** Blaſphemum in Dominum multari morte quid obſtat?
D. Nil; nam blaſphemi (ut divina oracula tradunt,)
Supplicio extremo plecti ſub lege ſolebant:
Jam quoque blaſphemus plecti debere videtur
Morte, ut qui viſus ſit cœlo indicere bellum,
Et meruiſſe mori plus quam fur aut homicida.
M. Qui neget eſſe Deum, an morte eſt hic quoque dig- (nus?
D. Dignum morte puto, ut qui hominúmque Deíque ſit (hoſtis,
Vinculáque exoptet communis ſolvere vitæ:
Tolle ex orbe Dei reverentiam, & ipſa ſilebunt
Jura ſacra, & vivent mortales more ferarum.
M. Sanctorum cœtu † excluſus ſociúſne adhibendus
Eſt illis Chriſti famulis quibus integra vita eſt?
D. Vitandus talis, pudefactus crimine donec,
Emendans ſeſe, & reſipiſcens reſtituatur.
Sic dum tempus erit, prudens vitare tremendum
Judicium Domini poterit, flammáſque gehennæ.
M. An || moriendum eſt omnibus? *D.* En ſemel eſt mo- (riendum
Omnibus, hanc omnes metam properamus ad unam;
Extracta ex terra debentur corpora terræ:
A lege hac nemo immunis, juvenéſque ſenéſque
Mors rapit in tenebras, & ſceptra ligonibus æquat.
M. Qui ſibi ¶ conſciſcit mortem peccátne? *D.* Homicida
Nec fortis, verum timidus me judice habendus. (eſt;
Nemo Dei injuſſu ex vita hac excedere debet:
Nempe Deo in vita hac mortali militat omnis;
Cujus ſigna miſer qui deſeret, impius idem eſt,
Judiciúmque Deo dignum experietur in illa
Luce, in qua veniet JESUS ut judicet orbem.

M. Anne

---

* *De blaſphemis & Atheis morte multandis.* † *De Excommunicatis vitandis.* || *De morte.* ¶ Αὐτοχειρία *damnatur.*

M. Anne omnes in * judicium ducet Deus? *D.* Omnes
Vivos & vita functos simul ante tribunal
Dilecti Nati Deus apparere jubebit;
Ut promissa bonis justus det præmia judex,
Suppliciisque malos damnet, mortíque perenni.
Judicium extremum cœli terræque ruina
Excipiet, flammis ardebit machina mundi,
Et penitus (sic scripta docent) renovabitur orbis.
M. Ede † propinquantis quæ illius signa diei?
D. En prius illa dies quam venerit omnia mundi
Regna movebuntur, fervebunt bella per orbem,
Pestes, atra fames, & plurima mortis imago.
Multorum frigebit amor, regnabit ubique
Impietas; nec erit fidei locus amplius ullus.
Qui gentes orbis seducent exorituri
Sunt multi falsi Christi, falsíque Prophetæ:
Prodigia in variis se ostendent partibus orbis,
Sol lucem amittet, similis quoque luna cruori
Fiet, clara cadent de summo sidera cœlo;
In se elementa ruent, horrenda tonitrua mentes
Terrebunt hominum, tempestatésque tremendæ
Robora prosternent, frangéntque per æquora classes:
Ipsa tremet tellus, absorbebítque superbas
Urbes atque domus, fremet oceanúsque profundus,
Obruet & campos, rapiens hominésque ferásque;
Totáque natura exitium minitabitur orbis.
Territus ostentis omnis terræ incola planget,
Et subeunda Dei servis mala plurima restant.
At postquam sese sanctorum sanguine multo
Mystica proluerit Babylon, (caput impietatis

Et

* *De Resurrectione mortuorum, & judicio extremo.* † *De signis ejus diei appropinquantis.*

Et ſcelerum,) horrendam patietur Roma ruinam.
Inſuper ante Dies quam venerit illa tremenda
Lex ſacra Chriſti in toto promulgabitur orbe
Ad Chriſti fidem (ſic dia volumina narrant)
Judaicæ totius erit converſio gentis.
Ex his jamdudum multa evenêre, docêntque
Non procul eſſe diem quæ finem huic afferat orbi.
M. Anne ſuprema dies nota eſt mortalibus ullis?
D. Soli nota * Deo lux illa eſt; nos decet ergo
Invigilare, Deum precibúſque laceſſere noſtris.
M. Dic, quæ judicii ſit forma futura ſupremi?
D. Plena horrore malis, ſed ſanctis læta futura eſt.
Nam Chriſtus veniet vectus ſuper ardua cœli
Nubila, cœlicolûm magna comitante caterva,
Ejus erunt qui cuncta capeſſere juſſa parati.
Tunc tuba cœleſtis ſonitum dabit, atque repente
Corpora defunctis rupta tellure reſurgent;
Oceanus commiſſa ſibi quoque corpora reddet;
Pandentur libri, in quibus extant cuncta notata
Dicta & facta hominum; tunc quas res quiſque patravit
In vita, has juxta accipiet ſibi præmia quiſque.
Quamvis ſæpe bonis res accidat una malíſque
Præſenti in mundo, tamen illa in luce ſuprema
Æternum inter oves fiet diſcrimen, & hœdos;
Cum ad dextram poſitis ovibus dicetur ab ipſo
Judice in excelſa ſplendentéque nube ſedente:
In regnum mecum ſuper aſtra VENITE beati,
Quod Pater ipſe meus vobis (quos ſemper amavit)
Cum nondum mundus factus foret iſte, paravit;
Nam vos divitias veras cumulare ſtudentes
Sæpe mea in miſeris recreaſtis viſcera membris.

Ad

* *Diem ipſam ſoli Deo cognitam eſſe.*

Ad lævam positis hœdis dicetur, *ABITE*
Hinc procul in flammas maledicti quas meruistis:
Nam dum vixistis sub pectore dura gerentes
Corda, meis membris solamina cuncta negastis.
His dictis, resonante tuba, atque ingentia blandè
Gaudia cœlicolûm sua contestante corona,
In Cœlum justi, scelerati in tartara abibunt.
M. Corpora num surgent certè quæ putrida vel sunt,
Vel dudum consumpta feris, vel fortè redacta
In cineres, ponto vel denique mersa profundo?
D. Illa procul dubio surgent, quia sacra disertè
Id scriptura docet, ratióque id postulat ipsa,
Corpora ut ad Christi vocem renovata resurgant:
Omnipotens Deus est, & quod vult, id facit idem.
Quis nisi mentis inops renovare hunc posse negabit
Corpora defunctis, qui verbo cuncta creavit;
Cum minus extet opus, minor & labor hæc renovare,
Quam verbo ex nihilo cœlum terrámque vocare?
Corpora mutantur quamvis, tamen haud rediguntur
In nihilum, fugiunt neque lumina cuncta videntis.
Ecce Deus servat cunctarum semina rerum,
Utcunque obscura, & totum dispersa per orbem.
Aspice, ut agricolis consurgat messis in agris,
Nil nisi quod moritur semen producit aristas.
Corpora non pereunt justis, sed reddita terræ
Dum judex, veniet, qui suscitet illa, dabítque
Vivere, jucundos captant in pulvere somnos.
Horum primitiæ qui nunc in pace quiescunt
Est JESUS; quia nempe velut post funera Sponsor
Ille resurrexit noster non hinc moriturus:
Sic dabit ille suis in luce resurgere læta,
Non hinc visuris mortem, neque claustra sepulchri.
Hinc de corporibus meliùs sperare sepultis

Disco

Disco Sanctorum, qui dum vixere, fuerunt
Christi membra sacra, & spirantia templa Tonantis.
M. Ergo mors sanctis non est metuenda. *D.* Profectò
Est optanda magis: mors his est janua vitæ.
Hanc soli metuent qui propter crimina justum
Judicium Domini expectant, irámque futuram.
M. Anne * malis olim surgent quoque corpora? *D.* Sur-
Atque animis juncta æternos mittentur in ignes, (gent,
In quibus horrendas reddent per secula pœnas.
Sontibus hic vermis semper præcordia rodet,
Hic ploratus erit multus, stridórque tremendus
Dentium erit miseris, qui præ feritate doloris
Sæpe vocabunt mortem, mors fugiëtque vocantes.
M. Dic mihi, quid demum fiet mortalibus illis
Qui vivent, tunc cum veniet lux ultima mundi?
D. Justi quotquot erunt in vivis orbe ruente
Mutati subito (virtus hos inclyta Patris
Mutet,) in occursum Domini rapientur, & una
Cum Domino in cœlis vivent in luce perenni:
Mutati & reliqui in tenebras cogentur abire,
Exclusi à Domini conspectu in secula. *M.* Nec te
Jam pigeat, (cum sint scitu hæc † jucunda) referre,
Corpora quæ fuerint sanctis super astra futura?
D. Vivida, formosa, & supra fulgentia solem;
Nullis hinc morbis, nulli hinc obnoxia labi,
Immortalia, & incorrupta per omnia secla.
M. Anne beati in cœlo agnoscent quos habuerunt
Hic in deliciis, & an agnoscentur ab illis?
D. Sanctos destituet nunquam tam pura voluptas,
Atque est illa bonis; nimirum scire beatos

Q Esse

* *Status miserabilis impiorum post mortem.* † *Piorum verò lætissimus.*

Esse suos, & quos causa virtutis amarunt,
Hos demum socios regni cœlestis habere.
Cognitio sanctis non utilis ulla peribit;
Imo facultatum perfectio summa futura est,
Summa adeóque animorum illis conjunctio: Adesse
Ipsis non possunt non optima quæque, perennem
Queis dabitur fontem pulchríque boníque videre.
M. In cœlis ergo cognoscet amicus amicum,
Natus in amplexus Patris ruet, oscula figet,
Excipiet patulis ulnis quoque martyra martyr,
Omnes dicturi Domini per sæcula laudes.
D. Illa animum spes læta meum non deseret unquam.
M. Atque erit illa dies cum te quoque, blande Philippe,
In cœlis videam, complecter, & osculer unà?
D. Id sperare mihi dedit is, cui servio, Christus.
M. Quæ maneant Sanctos in cœlis gaudia narra,
D. Ille beatificans JESU sine fine Deíque
Conspectus, regnum quod nullum terminet ævum,
Vita æterna expérsque doloris; gaudia quæ nec
Prendere mens hominum possit, neque lingua profari.

PERORATIO.

Jámque viam monstrasse juvat quæ ducit ad astra
Aspirante Deo, cui detur gloria facti;
Nam mihi qui vitæ est, fuit idem carminis auctor.
Nemo hic ambages, nemo hic deducta lacunis
Traditionum humanarum portenta videbit;
Sed de Scripturæ sumpta omnia fonte perenni.
Det Pater omnipotens opus hoc prodesse juventæ,
Cujus ego utilitati inservio, & opto salutem.

1 *Tim.* I. 15.

Vox vera eſt, & grata ſimul mortalibus ægris,
Veniſſe in mundum, qui mundum fecit IESUM,
Ut peccatores ſervaret ſanguine fuſo;
Quorum ego ſum primus; ſed pro quo mortuus Ille eſt,
Ille Dei Natus, cujus ſunt viſcera multa.

DEO OPTIMO MAXIMO.

Quæ bona in his libris extant, tua ſunt, Deus alme,
Omnia; quæ mala ſunt, hæc tribuenda mihi:
Quæ tua ſunt Sancti agnoſcent; quæ ſunt mea, & illis
Des, oro, veniam, dent veniámque tui.



ADDENDA.

Pag. 5. *post lineam* 21.

M. Nonne eſt pro nobis *Maledictio* factus IESUS?
D. Certè; nam ſcriptum eſt, *Maledictus ab arbore pendens:*
JESUS depoſita ad tempus, quam nactus ab ævo eſt,
Gloria apud Patrem, ſervi aſſumptáque figura,
De ligno tanquam fur aut homicida pependit,
Crimina noſtra ſuo portans in corpore ſancto:
M. Quî bonus, atque Dei dilectus Filius unus
Eſſe Patri potuit *Maledictus*? *D.* Nempe quod illas
Pro nobis pœnas horrendas ſponte ſubire
Vellet, quæ infligi ſolitæ ſunt furibus olim.
M. O mors indigna atque ingens dedecus! *D.* Atqui
Dedecus hoc JESUS noſtri contempſit amore.
M Dicitur & factus peccatum, at quomodo? *D.* Certè
Non quod peccato ſe contaminaverit unquam;
Qui fuit abſque dolo, nec in Illo culpa reperta eſt;
Sed quod pro mundi peccatis mortuus eſſet;
Illa quidem paſſus, quæ fures atque homicidæ,
Et malefactores tales patiuntur ubique.
Si crucibus fixi (poſtquam lacerata flagellis
Tergora ſint) fures Romano more fuerunt,
Nonne hæc pro nobis paſſus fuit omnia JESUS?
Et longe plura, ut nos certè credere fas eſt,
Riſus, & circumfuſi ludibria vulgi,
Dicentis: *Servaſti alios, jam te quoque ſerva;*
De cruce deſcende, atque omnes credemus ad unum.
Sic Regi cœli terræque illudere viſum eſt:
Sed veteres illa omnia prædixere prophetæ.

Sæpe

Sæpe quidem dixit gens illa nequiſſima: *Si nos*
Temporibus Patrum Numen vixiſſe dediſſet,
Non maculaſſemus nos ſacro ſanguine vatum.
Quam falſum hoc, factis docuere deinde nefandis,
Quando prophetarum Dominúmque, Deúmque necarent,
Auſi poſt ſervos dilectum occidere Natum.
M. Verum quos patres interfecere prophetas,
Juſtóſque innumeros, nati coluere ſepultos.
D. Sic eſt; quo ſeſe ſatis omnibus eſſe probarunt
Progeniem illorum qui interfecere prophetas.
En dum Judæi legerent oracula ſacra,
Cœci impleverunt quæ ſunt prædicta prophetis.

Pag. 10. *poſt lin.* 20.

De JESU in primis teſtatur Spiritus almus,
Quo pleni prædixerunt permulta prophetæ,
Ortus, divinam vitam, miracula, mortem,
Atque reſurgendo partum de morte triumphum.
Spiritus ille Dei eſt qui nobis lumine blando
Corda movens facit ut credamus: quo ſine verbum
Nil prodeſt, multóque minus miracula proſunt,
Cum pauci nôrint falſis dignoſcere vera.

Pag. 15. *poſt lin.* 1.

Nec puto quas olim gentes dixere Sibyllas
Dæmone ſæpe malo obſeſſas per ſe potuiſſe
Pandere quæ ſeclis eſſent ventura ſupremis;
Quæ in primis regnum cœli adventare docerent.
Namque Dei veri laus eſt, & gloria magna
Ejus ſolius prædicere poſſe futura.
M. Dic, nunquámne Deus dedit id, prædicere quædam
Spiritui impuro? *D.* Nunquam dedit id niſi quando
Judicio factum eſt, ut qui infeliciter illum

Sæpe reliquerunt, Deus ipſe relinqueret illos;
Et dum conſiliis propriis permitteret uti,
Hóſce ſua ſineret miſerè impietate perire.

Pag. 86. poſt lin. penult.

Peccantes fugiunt; ſed ſi fortâſſe vel unus
Ex multis convertatur, ſua gaudia blandè
Teſtantur, factíque Deo dant dulcibus hymnis
Laudem uni: tanto noſtri capiuntur amore.

Pag. 110. poſt lin. 7.

M. Cum videat ſcripta eſſe ſibi contraria ſacra,
Ut ſtet contra hoſtes, edit miracula Roma:
Dic mihi, blande puer, ne me Roma impia fallat,
Quomodo dignoſcam falſis miracula vera?
D. Doctrina; cui confirmandæ hæc omnia fiunt.
Sæpe ſtupenda facit dæmon, miracula nunquam.
Naturæ ſuperant vires miracula vera,
Atque Dei digito fiunt, adeóque ſigilla
Sunt cœli, doctrinæque atteſtantia veræ.
Falſa ſtupenda licet videantur, non tamen illa
Sunt, néve eſſe quidem poſſunt, miracula vera,
Quæ abducunt homines à cultu Numinis, atque
Doctrinam evertunt, quæ ſanctis tradita; ſed ſunt
Præſtigiæ Satanæ, fiunt odióque Tonantis,
Cujus cultum toto extinctum vellet in orbe
Spiritus ille malus, mendax & Numinis hoſtis.
Nos cautos dedit eſſe Deus, ne mira videntes
Nos doctrina ſeduci patiamur ab illa,
Miraclis veris quæ confirmata ſit olim.
Patraturum Antichriſtum miracula falſa
Ut poſt ſe mundum Impoſtor trahat impius ille
Sæpe fidem nobis, faciunt oracula ſacra.


FINIS.

LITURGICA.

AUCTORE
GULIELMO NICOLS, A.M.
Ecclesiæ *Stockportensis* Rectore.







Pasce, O Præsul, oves Christi, dum protegat armis
Princeps, et jubeat tutò habitare gregem. S.G.

LONDINI,
Typis & Impensis J. DOWNING, vico
vulgò dicto Bartholomew-Close, prope
West-Smithfield, 1717.

Reverendiſſimo in Chriſto Patri ac Domino,

D. GULIELMO,

Providentia divina ARCHIEPISCOPO *EBORACENSI*, Angliæ Primati & Metropolitano, Regiæ Majeſtati à ſanctioribus Conſiliis, *Gulielmus Nicols* Eccleſiæ Anglicanæ Presbyter Salutem in CHRISTO JESU.

QUI tibi perlectus placuit, Vir ſancte, libellus,
(Nec minima eſt certè laus placuiſſe tibi)
Ad Te jam properat, tuus eſt, Te namque jubente
Præſcriptum gaudet nomen habere tuum.
Tu qua fronte ſoles ſacras refovere Camænas,
Si vacat, hæc relegas carmina noſtra rogo:
Noſtra voco, quamvis ex his ſint multa Supremi
Verba Dei, numeris currere facta meis;
Multa Dei laudes pandunt, Quas, *vate monente*
Regio, in ore pios ſemper habere decet.
Nil magis ora decet Sanctorum quam celebrare
Illum hymnis, qui nos fecit amátque bonus.
Quid faciant animæ cœleſtes nos latet: unum
Id ſcimus, Quod amant, perpetuóque canunt.
Qui in terris laudes cecinit Patris omnipotentis,
Angelici in cœlis pars erit ille chori.

S. BASILIUS.

ΤΙ ΟΥΝ ΜΑΚΑΡΙΩΤΕΡΟΝ ΤΟΥ ΤΗΝ ΑΓΓΕΛΩΝ ΧΟΡΕΙΑΝ ΕΝ ΓΗ ΜΙΜΕΙΣΘΑΙ· ΕΥΘΥ ΜΕΝ ΑΡΧΟΜΕΝΗΣ ΗΜΕΡΑΣ ΕΙΣ ΕΥΧΑΣ ΟΡΜΩΝΤΑ, ΚΑΙ ΥΜΝΟΙΣ ΚΑΙ ΩΔΑΙΣ ΓΕΡΑΙΡΕΙΝ ΤΟΝ ΚΤΙΣΑΝΤΑ· ΕΙΤΑ ΗΛΙΟΥ ΚΑΘΑΡΩΣ ΔΙΑΛΑΜΨΑΝΤΟC ΕΠ' ΕΡΓΑ ΤRΑΠΟΜΕΝΟΝ ΠΑΝΤΑΧΟΥ ΑΥΤΩ ΤΗC ΕΥΧΗC ΣΥΜΠΑΡΟΥΣΗC, ΚΑΙ ΤΟΙC ΥΜΝΟΙC ΩCΠΕΡ ΑΛΑΤΙ ΠΑΡΑΡΤΥΕΙΝ ΤΑC ΕΡΓΑΣΙΑC.

Ὕμνους τε καὶ Ψαλμοὺς, καὶ ᾠδὰς, καὶ αἶνον ῥετέον.
S. Justin. Mart.

M. T. Cicero Libro de Legibus II.
Discebamus enim pueri Duodecim, ut carmen necessarium. Intellige leges xii. Tabb.

S. Hieronymus libro I. adversus Jovinianum.
In mari rubro transisse justos, & Phoraonem cum suo exercitu demersum, etiam in scholis cantant parvuli.

Auctor Quæstionum ad Orthodoxos.
Inter opera S. Justini Mart. quæst. liv. *Cur Moses quæ prædixit, carmine complexus est?* Resp. *Κατὰ τὰ ἐν ταῖς ᾠδαῖς ἐμφερόμενα διηγήματα, ἁρμοδίως οἱ ῥυθμοὶ τῶν μελῶν ἐγίνοντο ἄγοντες τὰς ψυχὰς εἰς τὴν πρέπουσαν τοῖς ᾀδομένοις αἵρεσιν.*

Quintilian. Inst. Orat. lib. xix. cap. 4.
Natura ducimur ad modos. Et mox, *Quod si numeris & modis inest quædam tacita vis, in oratione est vehementissima.*



Liturgica.

ORATIO DOMINICA.



LME parens hominum, qui cœlum nu-
(mine comples,
Sanctificetur in orbe tuum venerabile
(Nomen.
Adveniat, Deus alme, bonis optabile
(regnum;
O ſic in terris fiat tua ſacra voluntas,
Illa ut ſit ſupra flammantia ſidera cœli.
Tu nobis hodie panem da quottidianum;
Debita ſic nobis peccatáque noſtra remitte,
Fratribus ut noſtris veniam concedimus ipſi.
Nec ſupra vires tentari nos ſine noſtras.
Sit procul omne malum, peccati ſit procul auctor.
Nam ſine fine tibi regnum eſt, immenſa poteſtas,
Gloria in excelſis tibi permanſura per ævum.

PARA-

PARAPHRASIS ORATIONIS DOMINICÆ.

Ἀιτεῖτε, καὶ δοθήσεται ὑμῖν. Matt. vii. 7.

I.

O PATER omnipotens, cœli rectórque supremi
Sit sanctum toto nomen in orbe tuum.
Sit venerandum illud qua sol oritúrque cadítque,
Nomen ad hoc unum flectitor omne genu.
Est tutela bonis in quo qui fidit amanter,
Ut par est, omni tempore tutus erit.
Hunc nihil omnino lædet, seu transeat ignem,
Innocuus planè protinus ignis erit;
Seu dextra tollat serpentem (illa est fidei vis)
Serpens amittet dira venena sua.
O quoties ducibus priscis victoria læta,
Mirando hoc solo nomine parta fuit!
Sæpe illud solum patribus sanctísque Prophetis
Auxilium blandum in tempore Nomen erat;
Et fortis rupes, & inexpugnabile castrum
Omnibus in Te qui spem posuere suam.
Sæpius hoc pueri obturarunt ora leonum,
Et tuti in flammis te celebrare feris;
Sæpius hoc solo munitus vincula, mortem
Imbellis sexus temnere visus erat.
Nemo mortalis sperans in nomine JOVÆ
Unquam confusus vel pudefactus erat.
Sanctificat verè, laudat, benedicit, honorat,
Et monstrat Nomen quantùm amet ille tuum,
Qui nihil indignum facit illo nomine sancto,
Sed vita pura glorificare studet.
Qui *non magna loqui, sed vivere curat*; & inter
Gentes, ceu quoddam nobile lumen agens
In tenebris splendet, purum fontémque videre
Dat vitæ, atque homines ad meliora trahit.

Cum

Cum videant quales homines dilectio sola
Nominis illius sæpius esse facit.
Denique sanctificat, cunctis venerabile reddit,
Qui frustra id nunquam Nomen in ore capit.

II.

ADVENIAT regnum, discat gens omnis amare,
Atque tuo blando subdere colla jugo.
Adveniat regnum, in quo laus tibi detur ubique,
Plenáque sit tellus cognitione tui.
Quæ olim paucorum est, cunctorum gloria fiat,
Scire unum verum Te, Pater, esse Deum,
Dilectúmque tuum Natum illum, qui fuit ante
Quam vel formosus conditus orbis erat.
Adveniat regnum in quo cessent bella, ligóque
Fiat, qui quondam vulnifer ensis erat;
In quo pax vigeat, rerum placidissima, degant
Bos cum tigre simul, cúmque leone bidens.
Juxta aquilam tuta, & simul absque pavore columba,
Accipitrem juxta tutáque passer agat.
Regnum quod patres, reges, sanctíque prophetæ
Optarunt oculis sæpe videre suis;
Quando amplexuræ vitam æternámque salutem
Innumeræ gentes in tua castra fluent;
Pignora blanda humeris portantes, ut tibi subsint
Læti, *libertas summa subesse tibi est*;
Regnum in quo ille tuis subjectis spiritus almus
Corda regat, semper détque placere tibi;
Et si contingat justis peccare, benignè
Hos in peccatis non sinat esse diu:
Denique regnum, in quo cœlo gratissima virtus
Justitia in toto floreat orbe, Deus.
Qui non illud amet, metuat prænobile sceptrum,
Quo tu confringes cuncta inimica Tibi.

At tu qui bonus es, salvari omnésque peroptas,
Atque velis omnes duci in ovile tuum;
Ut sit grex unus, fidus Pastórque sit unus,
Qui servare potest quos sciat esse suos.
Omnis ad hoc invitatur cum divite pauper:
Sed raró hoc intrat quos amor urget opum.
Illa revelâsti pueris mysteria regni,
Quæ tumidos illos tu latuisse velis;
Qui cum multa quidem scirent, (dicti *Sapientes*)
Te nesciverunt, nec coluere, Deus.
Ecce tuum regnum in terris, (Ecclesia sancta)
Jucundo in primis assimulatur agro,
In quo juncta bonis mala semina sparsa per illum,
Qui noster semper, qui tuus hostis erat.
De regno esse tuo quid prodest, id nisi planè
Intra nos regnum sit, Deus alme, tuum:
Ergo pro bonitate tua dignare timorem
Visceribus nostris inseruisse Tui.

III.

O SIC in terris fiat tua sacra voluntas,
Illa velut nitidi fit super astra poli
A puris his spiritibus tua jussa per ævum,
Qui peragunt alacres, & tua facta canunt.
Et quænam illa tua est, sacra & perfecta voluntas
Quam fieri à nobis pro bonitate jubes?
Nonne ut salventur cuncti, cœlóque fruantur,
Semper agendo quæ sint placitura tibi?
O veniat tempus, quo victa morte coronas
Accipiant, hymnis Te celebrentque pii;
Ut postquam in terris regnavit *Gratia*, sanctos
Perfectos reddat *Gloria* fine carens!
Tu bonus, atque boni fons es; tibi charior uni
Est homo, sancte Parens, quam sit homo ipse sibi.

Ergo

Ergo ſacra omnino tua fiat in orbe voluntas;
Quod tua perpetuò ſit bona, noſtra mala.
Tu meliùs nôſti, quam noſmet novimus ipſi,
Quæ nobis proſint, quæ noceántque, Deus:
Ergo ſi nos contingat nocitura rogare
Nobis, O blande, tu nocitura nega.

IV.

DA NOBIS hodie panem; nil quærimus ultra:
Quæ ſua ſint curet craſtina quæque dies.
Non ſunt præſentem quæ ſpectent commoda vitam
In multos annos accumulanda tuis:
Qui paſcis volucres, agri quoque lilia veſtis,
Nunquam permittes hiſce carere pios
Paucis contentos, quæ pellat frigora veſte,
Et victu poſſit quæ domuiſſe famem.

V.

Et cum ſit nemo, qui non Te offendat, ad iram
Qui non quotidie provocet, alme Parens,
DEBITA ſic nobis, peccatáque noſtra remitte,
(Quæ multa atque iram promeruere tuam)
Ut nos ex animo peccata remittimus illis
In nos qui peccant, nos quoque habent odio.
Sic veniam fratri, concedat quiſque benignè,
Ut veniam peccans optet habere tuam.
Gratiam is inveniet qui fratri oſtendet amanter,
Commendat multùm nos Tibi fratris amor.
Qui fratri veniam peccanti denegat, ille
Nequaquam veniam ſperet habere tuam.
Qui fratri iratus miſer orat, quid facit? orat
Ut tua in ipſius corruat ira caput;
Orat ut ipſe tua excludatur *Gratia* in ævum,
Lex in ſe vires obtineátque ſuas.

En fructus duri cordis, fratríque negantis
  Quod ſibi concedi à Te, Deus alme, velit!
O qui noſmet amas, nunquam, Pater optime, noſtras
  Verti in peccatum tu patiare preces!
Nos hoſtes potiùs noſtros diſcamus amare,
  Ingratis etenim tu bonus eſſe ſoles:
His æque ac juſtis fœcundas imbribus arva,
  Aureus his ipſis ſol oritúrque tuus.

VI.

ET quoniam in vita multis exponimur omnes
  Quæ miris tentant ſollicitántque modis,
AUT prohibe blandè nos in tentamina duci;
  Aut ſi tentari nos, Deus alme, velis,
Non ſupra vires tentari nos ſine noſtras;
  En in Te ſolo eſt ſpes ſita noſtra, Deus.
Tu nullum tentas, niſi ut hinc tua gratia victrix,
  Vivida tentati luceat inde fides.
Tu nos tentari permittis, ut ipſi in agone
  Lapſi (& quis nullo tempore lapſus erat?)
Diſcamus, quam ſit noſtri fiducia vana,
  Et ſpes, quæ in Te uno non fuerit poſita.
Si a Te tentamur, ſit ut hinc vincentibus ipſis
  Major honor, majus ſit ſuper aſtra decus.
Nos caro ſollicitat, nos tentat perdere mundus,
  Blanditiis variis, deliciíſque ſuis;
Denique nos tentat ſerpens ut deſtruat; at Tu
  Vincere da nobis hos, Deus alme, fide.
En veluti rugiens leo terram circuit hoſtis,
  Quærens quos miſeros devoret ille latro;
Inſidiáſque ſtruit varias: Tu detege blandè
  Illius inſidias, obſtrue & ora feræ.
Cum ſævo hoſte ſimul gentes armantur in illos
  In te qui credunt, Te quoque mente colunt,

Tu

Tu reprime hos hoſtes inſanos, pelle furorem,
Nec ſine in illorum nos cecidiſſe manus.
Ad te clamarunt patres, & protinus illos
Noſceris ex variis eripuiſſe malis;
Eripe nos ex his quibus hoc luctamur in orbe,
Ut tibi facti omni tempore detur honor.
In vita hac miſera, & ſimul ipſa mortis in hora
Adſis, & ſervis auxiliare tuis.
Suſcipe, blande parens, animas, O ſuſcipe, ut hymnis
Detur in æternum Te celebrare ſacris.
SIT procul omne malum, peccati ſit procul auctor;
Omnipotente tua nóſque tuere manu.

VII.

Hæc à Te petimus Pater optime, nil dubitantes,
Quin dare tu poſſis omnia quæ petimus,
Si petimus rectè: nam ſunt qui fortè precando
Multa inhoneſta petunt, ergo nec accipiunt.
Ecce poteſtas illa tibi eſt, cui ſola voluntas
Imponat fines ſancta placénſque tua.
Tu facis in cœlo & terris quod ſit Tibi viſum,
Obſtet conſilio nil, Deus alme, tuo;
Sed ſtabit, quicquid reges ſævíque tyranni,
Et mundi gentes, ut vacuetur, agunt;
Occidendo pios, aut ſubjiciendo tremendis
Pœnis: ſed lucet robur in hiſce tuum.
Cúmque ruet cœlum, & tellus ſimul igne peribit,
Mutari temnens Tu, Deus alme, manes;
Idem ſemper eras, ſempérque futurus es; ævi
Principium nullum, meta nec ulla tui:
IMPERIUM ſine fine tibi eſt, immenſa poteſtas,
Gloria quæ nullo ſit peritura die.

CONFESSIO FIDEI.

Quam quidem ex Symbolo Nicæno, S. Athanasii, & quod vulgò SS. Apostolorum vocatur, adornavimus. Vide inter xxxix Ecclesiæ Anglicanæ Articulos, Art. viii.

ILLA fides nostra est, à qua non igne, nec ullis
Tormentis, sed nec patiar me morte moveri.
ESSE UNUM, æternúmque Deum, Patrem omnipoten-
Qui cœlum, & terram, qui condidit omnia solus; (tem,
Qui mundi istius prudens moderatur habenas;
Qui bonus est, omnísque boni fons limpidus, unà
Principium, medium, rerum finémque coercens.
CONFITEOR JESUM æterni Natum esse Parentis.
Unicum eum, genitúmque ante omnia secula, sanctis
Promissum Patribus, verum de Numine Numen.
Qui cum summa foret Patris sapientia, Verbum,
Lux hominum, spes, vita, salus, rerúmque Creator,
En virtute Dei, & demissa cœlitus aura,
Regali *Bethlæ* MARIA de virgine natus
Tandem factus homo est, humanáque membra subivit;
Verus homo, verúsque Deus, Christus tamen Unus,
Nobis persimilis, nisi quod sit criminis expers.
Qui pro peccatis mundi mala plurima passus,
AFFIXUSQUE CRUCI Romano auctore Pilato,
CRUDELI MORTE est, & funere raptus acerbo.
Concessas animis exutis corpore sedes,
(Quas *Haden* dixere Patres,) purissimus ejus
SPIRITUS HINC adiit, Patrísque quievit in ulnis.
SED POSTQUAM terris lux tertia fulsit IESUS
(Ut præmonstrarunt vatum pia turba,) revixit,
EXIIT EX TRISTI propria virtute sepulchro,
Morte sua æternum ducens de morte triumphum.
INDE IN conspectu multorum à nube receptus

In-

Intravit victor sublimia mœnia cœli.
AD DEXTRAM divini ubi nunc sedet ille Parentis
Imperium sine fine tenens in cuncta creata.
EX ALTO COELO cum totus corruet orbis
Præfulgente manu stipatus cœlicolarum
Venturus judex, ut reddat præmia justis,
Injustos idem tenebris damnétque tremendis.
Ex animo credo, QUOD SIT QUOQUE SPIRITUS
Qui simul à Patre & Nato procedit, & Unus (ALMUS,
Cum Patre & Nato Deus est benedictus in ævum.
Hic auctor fidei est, hic puro accendit amore
Corda hominum, sanctis vitæque est Arrha futuræ.
Inspirante illo veteres cecinere Prophetæ;
Illius ductu sunt scripta volumina sacra,
Quæ data sunt nobis, ut lex sanctissima vitæ,
Et pedibus nostris sint semper amabile lumen.
Credo, quod in terris ECCLESIA SANCTA SIT Una,
Catholica, (ut quæ sit jam totum sparsa per orbem,)
Et quæ structa super petram est mansura per ævum;
Viventis templúmque Dei, fideíque columna.
CREDO COMMUNI Sanctos gaudere salute,
Esse omnes unum corpus, sacra membráque Christi,
Afflatúque regi simul omnes illius uno.
CREDO ILLIS bonitate Dei, delicta remitti,
Qui nempe in Christum credunt, ipsúmque sequuntur.
Agnosco, amplectórque UNUM GENITALE Lava-
Et gratus veneror sacræ mysteria Mensæ. (crum,
CREDO revicturam nobis post funera carnem.
IN COELIS SANCTOS vitámque manere perennem.

DECA-

DECALOGUS.

En genus Isacidum, JOVÆ dilecta propago,
Hæc sunt jura tibi digito conscripta Tonantis.

I.

Sum Deus omnipotens, cœli terræque Creator;
Non erit omnino tibi præter me Deus alter.
Nec tu vanà coles metuunt quæ numina gentes,
Quæ finxere sibi, & sacris coluere nefandis.
Néve creaturis tribues malesanus honorem
Qui mihi debetur, quoniam hæc mea dextera fecit.

II.

Non simulachra coles, nec me sub imagine pinges,
Me quia nemo potest mortalis cernere, cum sim
Spiritus æternus, fingendus imagine nulla;
Nec cæsis vitulis, sed pura mente colendus.
Me quicunque colit vana sub imagine, non me
Ille colit, sed quod fecit colit impius, & me
Dedecorat, noménque meum cultúmque profanans.
Zelotypus Deus ille ego sum, qui sæpe parentum
Queis odio fuerim jubeo ceu percitus ira,
Ut delicta luat generatio quarta malorum:
At mea justorum clementia dia coronat
Seram posteritatem, ad millia multa nepotum:
Tanto justitiam mea commiseratio vincit.

III.

Non frustra sumes Domini tibi nomen in ore;
Non perjurus eris, nec tu jurare profano
Audebis ritu, jurare ubi nílque necesse:
Talia qui faciet, manet illum pœna tremenda;
Utque hominum lateat, non lumina nostra latebit.

IV.

IV.

Sunt tibi dum vivas mea Sabbatha ſacra colenda;
Nam mihi ſacra fuit, ſemper Lux ſeptima poſtquam
Hac mea ab immenſo requievit dextra labore.
Ergo die requieſce ſacra, pete templa, & adorans
Terrarum Dominum precibus tibi redde benignum.

V.

Si venerare Deum, fac ut venerere parentes;
Ut ſis longævus, videas ſeróſque nepotes,
In patria blanda vitam ducáſque beatam.
Regibus obſequium præſta, regúmque miniſtris,
Sunt hi juſtorum clypei, terrórque malorum.
Paſtores magno tibi ſint in honore fideles,
Namque tuæ gaudent animæ invigilare ſaluti.
Quos præceptores, moderatorêſque juventæ
Nactus es, obſerva, reverere locóque parentum.
Surge ante ora ſenis, canóſque libenter honora;
Eſt quæ juſtitiæ juncta eſt, veneranda ſenectus.

VI.

Innocuo maculare tuam fuge ſanguine dextram;
Innocui Dominus ſum juſtus ſanguinis ultor.
Nec lædas, cuiquam mutiles, neque vulnere corpus;
Sed quantum poſſis cunctis prodeſſe ſtudeto.
Pupillos, viduas, peregrinos, & ſimul omnes
Immeritò oppreſſos verbis factíſque juvato.
Pauperibus terræ, & miſeris tua viſcera pande;
Qui nil largitur durus, cum poſſit egenis,
Immanis fur eſt, homicidáque peſſimus idem.
Iraſci noli; quia ſæva accenditur ira,
Peccat, & horrenda turbat caligine mentem.
Non te ulciſcaris, nec damnis damna rependas;
Diſplicet ille Deo, qui ſeſe ulciſcitur ipſum.
Nec fratri invideas: quiſquis fratri invidet, odit.

VII.

Sed nec adulter eris, tibi ſint connubia ſancta;
Non regnum cœlorum intrabit turpis adulter.
Ipſa meretricum fugito conſortia fœda;
Nêve libens dictis præbebis turpibus aures,
Sis animo, inceſſu, linguáque, oculiſque pudicus.
Siqua tori conſors tibi ſit, fac ſemper amore
Hanc foveas tenero; caro namque eſt una duobus:
Atque viro tribuat conjux, dum vivat, honorem.
Si tibi blanda Deus conceſſit pignora, cura
Maturè ut diſcant legem ſervare Tonantis.

VIII.

Non furtum facies, nec conſors furibus eſto;
Qui furto āblatum prudens recipit, reus æque eſt,
Ac qui furatur: fratrem fraudare caveto,
Sit tibi juſta bilanx, tibi ſint quoque pondera juſta.
Ex male quæſitis rebus diteſcere noli.
Turpe lucrum fugito damno exitialius omni;
Et temne uſuram ſimul exercere voracem.
Depoſitum ſanctè reddes; ſis fidus amicus,
Integer & blandus tutor, tibi terminus agri
Vicini ſacer eſto; nec hoſtis jus violabis.
Cuique ſuum tribues; ſi judex munera ſpernens
Judicium facies, odio nil dans nec amori.
Si dominus, ſervis da quæ ſint juſta & honeſta;
Si Servus fueris, operam navato fidelem;
Denique ſi pauper, vitam tolerare labore
Sis memor, ut poſſis miſeros quandóque levare.

IX.

Mentiri noli, verum tibi dicere cura
Maxima ſit ſemper; non coram Judice falſus
Teſtis eris, falſos teſtes Deus odit & arcet.

Qui

Qui famam alterius lacerabit, non erit inſons,
Nec quicunque libens dat detractoribus aures.

X.

Non te vicini capiet maleſuada cupido
Conjugis, illiúſve domus, famulíve, bovíſve,
Néve rei alterius cujuſquam, quæ ſiet ejus;
Sed propriis rebus contentus vivere diſce.

RESPONDET POPULUS.

At tu, magne Deus, noſtri miſerere, remitte
Debita, & has leges animis ſimul inſere noſtris.

EVANGEL. D. MATT. CAP. V.

Docet JESUS, *Qui ſint verè beati.*

MONTE ſuper modico cum fortè ſederet IESUS,
Et ſtaret circum magna caterva virûm,
Diſcipulis fidis Paradoxa hæc ſacra recludens
Ad cœlum docuit quæ via recta foret.
O vos felices veſtigia noſtra prementes,
Quos Evangelii, & Patris amore mei
Pauperiem video mecum nunc ſponte ſubire;
En vos in cœlis præmia magna manent.
Et vos nunc lachrymis quibus ora rigantur amaris,
Qui nunc lugetis noctè diêque pii
Duritiem Solymæ, & mundi delicta ruentis:
Solamen vobis en erit ipſe Deus.
Felices miti ingenio placidóque ſupremus
Victoréſque ſui quos dedit eſſe Pater:
Namque idem vobis traducere leniter ævum
Concedet, veſter totus & orbis erit.
Vos quoque juſtitia quibus ardent corda repleri,
Non ſecus ac optat cervus anhelus aquas:

Felices animæ, quia in hoc seclóque futuro
Gestiet ille Pater vos saturare meus;
Deliciísque replere illis, quas cernere nemo,
Ante obitum nemo prendere mente potest.
Felices miseris qui viscera panditis, & quos
Nunc juvat in miseris membra fovere mea,
Qui faciles fratrum peccata remittitis; olim
Pandentur vobis viscera multa Dei.
O vos felices quibus extant pectora pura,
Nam dabitur vobis ora videre Dei.
Mens est pura Deus, quapropter non nisi puri
Mente, Deo similes, numinis ora vident.
Vos quibus est studium pacem instaurare per orbem,
Atque inter sese conciliare bonos;
Vos ter fœlices dico, vos jure vocandi
Estis in æternum pignora chara Dei.
Vósque beati supra omnes, quibus obtigit almæ
Justitiæ causâ nunc mala multa pati;
Quos variis vexare modis amat orbis, & odit,
Quos vita indignos judicat atque necat;
Vos quoniam justus cum judex venerit orbis
Mercedem in cœlis accipietis, ait:
Hæc simul adjiciens; Non veni solvere legem,
Sed complere Patris jussa verenda mei.

PARAPHRASIS *PSALMI* XCV.

Invitatio ad Deum colendum, & fidem in Christum.

EIA agite, Auctori rerum, Dominóque canamus,
Illi lætemur, qui nostræ est causa salutis,
Præsidium, rupes, & inexpugnabile robur.
Illius intremus templum, vigilésque benigno
Tentemus Domino grates persolvere dignas:
Ejus tollamus Psalmis super æthera laudes.

Magnus

Magnus enim noster Deus est, solúsque colendus,
Et superans miseræ quæ fingunt numina gentes:
Quæ sibi dant, quorum vanóque timore replentur.
At quem nos colimus verus Deus, ille potente
Dextra orbem fulcit, cujus fundamina jecit;
Ille videt fines, simul & penetralia terræ,
Luminibus sacris sunt pervia cuncta Tonantis:
Subdita sunt Domino nimbosa cacumina montium,
Illius est latus circumdans omnia pontus,
Quem fecit, vetuítque suas transcendere metas.
Ille solum stravit, rebus replevit amœnis,
Imperióque hominum jussit parere benignus.
O ergo pedibus Domini, nostríque Parentis,
Qui nos formavit, vegetat, sustentat, alítque
Advolvamur, eum flexis genubúsque colamus.
Ille Deus noster, nos grex sumus illius omnes,
Quem sibi delegit, populus quem semper amavit:
Atque ut pastor oves, sic nos quoque pascit IOVA.
O vos qui Domino juncti estis fœdere sancto,
Ista dies vestra est, qua oblata est gratia vobis,
Qua rogat omnipotens vos oscula figere Nato;
Vos præbete Dei patulas modo vocibus aures,
Qui me vate sacro his verbis invitat amicis
Ad Christi amplexus & vos vestrósque nepotes.
Ferrea ne gerite immani sub pectore corda,
Neu me tentate, ut tentarunt sæpe parentes,
(O quoties miti cor vexavere prophetæ!)
Cum mea vidissent miracula multa in eremo;
Quadraginta annos me exploravere rebelles:
Et dixi, Hæc errat gens tota à tramite recto;
Huic populo cor est à nostris legibus horrens.
Juravi tandem perculsa mente dolore
Non requiem nostram gens hæc ingrata videbit.

HYMNUS BB. *AMBROSIO* & *AUGUSTINO* vulgò
ascriptus, qui sic incipit, *Te Deum laudamus.*

Ὑμνεῖν με δεῖ τὸν Θεόν, Epict.

TE, Deus omnipotens, canimus, totúmque per orbem,
Te genus humanum Dominumque Patrêmque fatetur.
Angelicæ mentes, quæ sacra luce refulgent,
Carmine te celebrant, & tota potentia cœli.
Te Cherubim laudant, cantu Seraphímque perenni
Ter sanctúmque vocant; quia tu Deus unus & idem
Trinus es, & nactus non enarrabile nomen.
Te mare, te tellus, te enarrant sidera cœli,
(Si sol formosus, quanto es formosior ipse,
Magne Deus, cujus formavit dextera solem
Flammigerum, & lucem radiantibus indidit astris!)
Nempe Creatoris bonitas, sapientia, & illa
Infinita potentia (cui vis nulla resistat,)
Elucere solent in re quacunque creata.
En Christi in terris Socii, simul & Paranymphi,
Credentúmque duces, populi fundamina sancti,
Juris Apostolici proceres, lectissima turba,
Quorum mirificæ penetrarunt secula voces,
Te celebrant, veteres celebrant te uno ore prophetæ.
Martyres eximii, palmísque stolísque decori
Laude tua faciunt cœlum resonare supremum.
Te colit, alme Parens, Ecclesia sparsa per orbem,
Lumine amictum, immensa & majestate verendum.
Túque, O Nate Deo, qui summi es Patris imago,
Te tua Sponsa colit, tua Sponsa Ecclesia, JESU,
Et sine fine tui divino flagrat amore.
Te sacris laudátque hymnis, O Spiritus alme,
Qui fidei auctor es, & rebus solamen in arctis.
Tu, Christe, æterno proles æquæva Parenti,
Rex idem magnus superúmque hominúmque refulgens

Ut

Ut morti eriperes homines non ſpernere viſus
Mortalis fieri, caſta quoque virgine naſci.
Poſtquam viciſſes cruciatus mortis acerbæ,
Nec te clauſtra feri poſſent retinere ſepulchri
(Debita mors peccato in te nil juris habebat,
Cum nulla in Te fraus, neque culpa reperta ſit ulla,
Victor ſupremi reſeraſti limina cœli
His qui in te credunt, & pura mente ſequuntur.
Ad dextram hinc, O Chriſte, ſedes regnáſque Parentis,
Expectans donec cunctos ſubſtraverit hoſtes
Ille tibi omnipotens Pater, ut promiſerat olim.
Interea tu Patrem, ut ſit placabilis oras;
Et monſtrans quæ ſis pro nobis vulnera paſſus,
Solus ſanguine pacificas hominéſque Deúmque.
Cumque dies veniet (quam ſæpe optâre fideles)
Qua exitium horrendum patietur machina mundi,
Ante tuum ſacrum, poſitúmque in nube Tribunal
Siſtentur vivi, ſiſtentur luce carentes:
Maxima tunc referent te judice præmia juſti,
Oſoréſque Dei æternos mittentur in ignes.
O fer opem nobis, famulos O reſpice blandus;
Quos tibi jamdudum aſſeruiſti ſanguine fuſo;
Annumeráque tuis Sanctis in luce perenni;
Incolumem ſerva in mundo gentémque redemptam.
Illa dies videat noſtram ſine crimine vitam,
Te tribuente hoſtis contra tentamina vires.
Dirige ſervorum greſſus, da ſcandere cœlum,
Da nomen laudéſque tuas celebrare per ævum.
O miſerere tuæ, Deus, O miſerere precantis
Plebis, & in Te uno ponentis ſpémque fidémque.
Nec tibi confiſis, JESU, O ſpes unica mundi,
Peccata æterno ſuffundant ora rubore.

HYMNUS TRIUM PUERORUM.

In eo invitantur omnes creaturæ ad laudandum Dominum; & sic incipit: Benedicite omnia opera Domini, *&c. Hunc Hymnum ex Psalm* civ. *&* cxlviii. *uberiorem reddere conati sumus, paullò immutato rerum ordine.*

Εἶτ' ἄγε μεγάλοιο Θεοῦ κτίσιν ὑμνειῶμεν. S. Greg. Nazianz.

I.

O Quicquid fecit Dominus (nam voce potente
Omnia fecit, & ex nihilo quoque surgere jussit
Cœlum, terrarúmque orbem, oceanúmque profundum,
Quæ postquam Omnipotens lustrasset lumine, vidit
Esse bona omnia) vos Domino benedicite vestro,
Æternum laudate Deum, celebrate Parentem.

II.

Cœlestes * Satrapæ, flammis similésque Ministri
Nocte diéque alacres facitis qui jussa Tonantis,
Militia Omnipotentis, custodésque bonorum,
Integritate in ea qua vos Deus ipse creavit
Stantes, mansuríque simul sine labe per ævum,
Æternum laudate Deum, celebrate parentem.

III.

† O decus, O vasti sinuosa volumina cœli,
(Regia magna Dei,) subjectíque orbibus orbes,
Et vos extensæ super ardua mœnia mundi
Fornicis instar aquæ, cœlum circumdare jussæ.
O sol fons lucis, læti rectórque diei;
Túque O luna tenens tacitæ moderamina noctis,
Queis datur immensi distinguere tempora mundi,

(Sol

* *Angeli.* † *Cœlum & corpora cœlestia.*

(Sol dum percurris bis ſex cœleſtia ſigna,
Lunáque ſæpe tibi renovas dum cornua in anno,)
Et vos perpetuò radiantia ſidera cœli,
Æthera dum nox eſt rutilis ornantia gemmis,
Æternum laudate Deum (qui nomina veſtra
Et numerum novit ſolus) celebrate parentem.

IV.

O * lux quæ ante alias res omnes condita fulges,
Umbra Dei, quæ das rebus ſplendere decore,
Eximio, & jucunda oculis ſpectacula præbes.
(Qua ſine carbones forma non vinceret aurum,
Nec lapidi vili rutilans præſtaret Iaſpis,)
O tenebræ horrendo velamine cuncta tegentes;
Alma dies operum rectrix, tempúſque laboris,
Nox in qua placido requieſcunt membra ſopore,
Et vires feſſis renovantur imagine mortis;
Nóxque diéſque ſimul labentes ordine certo
Æternum laudate Deum, celebrate parentem.

V.

Túque † aër mollis, qui terræ amplecteris orbem,
Pulmones recreans, animantibus omnibus auram
Dans trahere, & dum fata ſinunt producere vitam;
O venti celeres (nam vobis ſæpe miniſtris
Eſt uſus Dominus, quo nomine cunque vocandi,)
Intonuit quorum concurſu ſæpius aër,
Sæpe mare inſanos evexit ad æthera fluctus,
Robora ſtraviſtis qui turbine, & obvia tecta,
Qui nautis avidis fregiſtis ſæpe carinas,
Sæpius his auris impleſtis vela ſecundis,
Æternum laudate Deum, celebrate parentem.

* *Lux, dies, & noctes.* † *Elementa, aër, venti.*

VI.

Vos quoque ſub variis volitantia * nubila formis,
Occidui ad radios pulchréque rubentia ſolis,
Imbribus ex alto quæ ſubdita prata rigatis,
Deciduis guttis fœcundáque redditis arva;
Túque decus cœli, ſplendens in nubibus arcus,
Ex ſole adverſo varios ducénſque colores,
Quo Pater omnipotens ſignat mortalibus ægris
Terrarum hunc orbem periturum haud amplius undis;
Ignis edax rerum, liquidis contrarius undis,
Uſibus humanis ſed qui famularis & ipſe;
Terribiles cœlo ſurgentes crine cometæ,
Fulgura funeſtis implentiáque aëra flammis,
Atque malis cunctis metuenda tonitrua, veſtrum
Æternum laudate Deum, celebrate parentem.

VII.

O † ver purpureis tellurem floribus ornans,
Undique maturis formoſáque meſſibus æſtas;
Tuque, Autumne, bonas qui mittis in horrea fruges
Triſtis hyems, ſævis rapidíſque Aquilonibus horrens,
(Sed quæ delicias multas mortalibus affers;
Ut totus Domini plenus bonitate ſit annus,)
O rores placidi recreantes gramina campi,
Reddentéſque ſimul gratas animantibus herbas;
Frigora vinetis, teneríſque nocentia plantis;
Grando ſolum pulſans, duris inviſa colonis,
Proſternens ſegetes, crepitans ſuper ardua tecta;
Candida nix, glaciéſque imponens vincula ponto;
Et canæ cœlo delapſæ nocte pruinæ
Æternum laudate Deum, celebrate parentem.

VIII.

* *Nubes, ignis & meteora.* † *Anni, tempora,* &c.

VIII.

Alma parens * tellus, quæ pabula larga miniſtras
Cunctis ſi faveat ſummi indulgentia Patris,
Excelſi † montes, minitantes vertice cœlum,
Lanigeris ovibus præbentes paſcua læta;
Et vos frugiferi || colles, placidéque tumentes,
Multæ ubi purpureæ pendent de vitibus uvæ,
(Præbentes vinum gratiſſima pocula mœſtis,)
Multus ubi fructus ſemper frondentis olivæ;
Thus & odorato ſuadantia balſama ligno,
Et crocus & nardus, fragránſque accreſcit amomum:
O ¶ Valles lætæ maturis undique ariſtis,
Ornatæ hinc myrtis, funeſtis inde cupreſſis;
* Ligna ubi conſurgunt, quæ vel redolentia poma,
Caſtaneas, corylos, ficos & amygdala fundant,
Vel quæ dent feſſis gratas mortalibus umbras;
Nobilis imprimis, & rebus commoda cedrus,
Fraxinus, & caſus abies viſura marinos,
Robur, lenta ſalix, hortis aptiſſima pinus,
Et platanus, buxuſque, & vitibus ulmus amica;
Laurus, & ingenti creſcens ſub pondere palma;
Morus, tarda quidem, ſed grata alimenta miniſtrans
Bombyci blando, qui mollia viſcera fundit,
Viſcera ſceptrigeros exornatura tyrannos;
Cætera quis numeret quæ tellus mittit in auras?
O † nemora alta, impervia, vos ſylvæque virentes,
Frondosíſque comis formoſæ, gloria ruris;
Nutrit ubi implumes longæva ciconia pullos,
Unà ætate graves nutrit quoque grata parentes;
Semper ubi raucæ gaudent habitare palumbes,

Solus

* *Terra.* † *Montes.* || *Colles.* ¶ *Valles.* * *arbores.* † *Nemora & Sylvæ.*

Solus & amiſſos deplorat turtur amores:
O vos perpetuo viridantia * prata, venuſte
Undique picta ſimul, per quæ de fontibus altis
Mæandris variis nunc leni argentea curſu,
Flumina, nunc rapido latum volvuntur in æquor;
Urbes, & nitidas præter labentia villas.
O † campi quos ſæpe juvat de vertice collis
Luminibus late circum luſtrare jacentes,
Quos bellator equus, quos bos patiénſque laboris,
Et quos tondet ovis, (paſtorum maxima cura)
Atque aliæ pecudes hominum quas exigit uſus;
Vos teneræque || herbæ, quas eſſe animantibus eſcam,
Quáſque dedit morbis Deus inſervire medendis;
O ¶ flores dulces, (nam vos ſpiratis odores
Corpora qui recrëent, qui thura & aromata vincant,)
Forma quibus pulchra eſt, & nulla imitabilis arte;
Quos violant & apes, ex his quoque dulcia libant
Mella per æſtatem, in proprios uſúſque recondunt;
Lilia mixta roſis, ferrugineíſque hyacinthis,
Lilia magnorum queis cedat purpura regum,
Quicquid vere novo producit terra quotannis,
§ Viſceribúſque ſimul quicquid latet ejus in imis,
Viſcera namque extant terræ fœcunda metallis,
Ære, auro, argento, gemmis & marmore duro,)
O * fontes puri, tutiſſima pocula dantes
His qui vivendo naturæ jura ſequuntur;
Mirandi latices, quibus omnipotens dedit ipſe,
Et ſedare ſitim, & ſævos depellere morbos;
O qui jucundas facitis pingueſcere valles
Irrigui fontes, vitreis qui curritis undis,

Ad

* *Prata.* † *Campi.* || *Herbæ.* ¶ *Flores.* § *Mineralia.*
* *Fontes.*

Ad placidos blando invitantes murmure somnos:
Ex vobis ortum clarissima * flumina ducunt,
Quæ fines extant variis regionibus orbis;
Quæ rupe excelsa delapsa fragore tremendo.
Sæpius attonitus videt, & pavet incola ruris;
† Oceane altisonans, crebris agitate procellis,
Facta tremenda Dei recludens plurima nautis,
Immensíque lacus, latéque patentia stagna
Æternum laudate Deum, celebrate parentem.

IX.

Squamigeri || pisces, & cete, immania monstra,
Quæ sub aquis miras duxistis sæpe choreas;
O ¶ volucres levibus resecantes aëra pennis,
Quæ sylvas facitis vestris resonare querelis;
O § pecora, inque antris abscondita turba ferarum,
(Ille est qui præbet vobis alimenta benignè)
Reptilia, & quicquid vitales attrahit auras
Æternum laudate Deum, celebrate parentem.

X.

O genus * humanum, divini Auctoris imago,
Cui Deus os sublime dedit, cœlúmque tueri
Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus,
Spernere terrena, & cœlestia quærere sola,
Cui dedit æthereas mentes summíque capaces
Numinis, æternum fugituras claustra sepulchri,
Victurásque simul cœlo per secla supremo;
Cui quoque (ut hoc esset divini pignus amoris)
Subdidit omnipotens animalia cætera cuncta;
† Isacidæ ante omnes Domino dilecta propago,
Queis dedit & leges, ex servitióque redemit;

Vos

* *Flumina.* † *Mare*, &c. || *Pisces.* ¶ *Volucres.* § *Pecora*, &c. * *Homines.* † *Ecclesia in primis.*

Vos quibus eſt legum concredita ſacra poteſtas
Terrarum reges, quos celſa in ſede locavit
Omnipotens, ejúſque vices mandavit obire ;
Robuſti juvenes, pueri innuptæque puellæ,
Conſilióque ſenes, & dandis laudibus apti ;
Vóſque Sacerdotes, queis ſunt altaria curæ,
Sanguine qui teneri perfuſo ſæpe bidentis,
Et multo oblato placaſtis thure Tonantem ;
O vos qui Domino ſervitis nocte diéque
Æternum laudate Deum, celebrate parentem.

XI.

Vos * animæque virûm juſtorum, & fraude carentûm,
Exutæ tandem mortali corpore mentes ;
O Sanctíque humileſque homines, qui pectore puro
Semper geſtaſtis Dominum dum fata ſinebant ;
O Ananias, & O Miſael, tuque O Azarias
Qui Dominum mediis celebraſtis in ignibus, & queis
Hos inter tutos virtus dedit eſſe ſuperna,
Vos uno ore omnes Domino benedicite veſtro,
Æternum laudate Deum, celebrate parentem.

---

* *Animæ ſanctorum.*

CANTICUM ZACHARIÆ.

LAudemus magnum Dominumque Deumque JA- (COBI,
Qui nos reſpexit, populum electumque redemit ;
Qui Servatorem Davidis ſanguine cretum
Erexit, nobis libertatemque creavit.
Sic olim memini veteres ceciniſſe Prophetas

Tem-

Temporibus cunctis prima inde ab origine mundi;
Nempe fore ut Dominus nos tempestate statuta
(Juxta id quod patribus nostris promiserat ipse
Jure interposito jurando, & fœdere facto)
Servitio eriperet, nobis quoque subderet hostes;
Ut pulsa ex animis omni formidine tetra
Maxima cura foret nobis, dum vita maneret,
Justitiaque fidêque Deo placuisse benigno.
Tu quoque, blande puer, toto celebraberis orbe
Nuncius æthereus, vates Patris altitonantis:
Ecce ante ora Dei tu magnus Prodromus ibis,
(Æmulus Eliæ, & multo præstantior illo;
Nam tibi venturum dabitur prædicere Christum,
Præsentémque videre simul, lymphaque lavare.
Ponere deinde tuam vitàmque illius amore)
Tu calles Domino planabis, vallibus æquans
Montes (ille humiles amat, obsistítque superbis,
Qui cum chara Dei soboles existat ab ævo
Non dedignetur de paupere virgine nasci,)
Tu genti Isacidûm tandem partæque salutis
Præco eris, in vasto quoque vox clamantis eremo,
Ecce Deus veniet cito, vos resipiscite cuncti,
Et vobis pura lustrentur corpora lympha!
Ex te cognoscet domus Israelis, & omnes
In tenebris positi, sua nunc delicta remitti,
Si in Christum credent, qui Orientis solis ad instar
(Planè ante illum omni fugienti luce minore)
Venturus lux est, totius gentibus orbis,
Dux idem ad pacem blandam, vitámque perennem.

HYM-

HYMNUS B. MARIÆ VIRGINIS.

EN mea magnificant Dominum præcordia, in illo
 Spiritus exultat, qui mea ſumma ſalus.
Nam ſortem ancillæ reſpexit lumine blando,
 Pauper eram, Regum ſtirpe creata licet.
Ecce dehinc dicent, me ſecula cuncta beatam,
 Fulgebo ſemper Matris hónore Dei.
Virgo parens dicar, nam qui mea membra creavit
 Spiritus, ex illo ſum quoque facta parens:
Me Deus omnipotens tanto eſt dignatus honore,
 Cujus ter ſanctum nomen in orbe manet.
Hic eſt qui noſtri miſeretur, & illius extant
 Juſtorum in natos viſcera nota ſatis.
Brachia nudavit, dextra ſparsítque ſuperbos,
 Conſilia in ſe qui multa iniere mala.
Hoſtes ex ſoliis deturbavítque potentes,
 Erexit mites, corde humiléſque viros.
Deliciis inopes ſatiavit, juſſit abire
 Hinc vacuos opibus qui tumuere ſuis.
Ut nos ſervitio eriperet, famulóque *JACOBO*
 Ipſe ſuo ingentem tempore ferret opem,
Id *SEMEN SANCTUM* cœlo demiſit ab alto;
 (Fœderis ille nequit non memor eſſe ſui
Quod pepigit blandus cum noſtris patribus olim,)
 Et matrem pueri me dedit eſſe ſacri,
Qui *DEUS IN NOBIS HABITANS* vocitabitur, orbis
 Una ſalus, ingens Iſacidumque decus.

HYMNUS ANGELICUS.

Gloria in excelſis Domino, pax aurea terris,
Erga homines ſummi panduntur viſcera Patris.

PARA-

PARAPHRASIS *PSALMI* XCVIII.

COElicolûm regi nova carmina pangite JOVÆ,
Plurima qui fecit ſolus miranda per orbem;
Non ope turmarum, ſed ſancta atque omnipotente
Hoſtes devicit dextra, duxitque triumphum.
Ille Redemptorem populi ſe præſtitit, ille
Juſtitiámque ſuam patefecit gentibus orbis:
Iſacidûm memorem ſeſe monſtravit, & omnes
Terrarum fines partam videre ſalutem.
Ergo orbis gentes Dominum laudate ſupremum,
O tentate Deo grates perſolvere dignas,
Grandia dulci-ſonis jungantur carmina nervis,
Carmina quæ celebrent ingentia facta Tonantis:
Buccina magnifici reſonet præconia regis,
Illi jucundum dent æquora murmure plauſum,
Dent plauſum quicquid vitreis ſpectatur in undis.
Et Domini laudes omnis ferat incola mundi.
Flumina lætentur, teſtentur gaudia montes,
(Adventum Domini teſtati nutibus olim)
Nam Deus ille venit, venit ille ut judicet orbem,
Nempe malis pœnas, juſtis dabit ille coronas.

CANTICUM SIMEONIS.

NUNC, Domine, ex vita, nunc me dimitte benigne,
Ut promiſiſti, da placidéque mori.
Poſtquam illum *SANCTUM*, poſtquam vidêre ſalutem
Promiſſam patribus lumina noſtra tuam,
Quam coram cunctis populis tua dextra paravit,
Hoſtibus æternùm dextra timenda tuis.
Ille puer Lumen totius gentibus orbis,
Ille erit & populi gloria magna ſui.

SUFFRAGIA, *sive versiculi Amœbæi a Sacerdote & Populo alternatim recitandi.*

S. RErum sancte Parens, in nos tua viscera pande :
P. Et nobis, Deus alme, tuam concede salutem.
S. Incolumem Regem conserva, & protege blande :
P. Exaudi, Omniptens, nostra hæc pia vota precésque.
S. Indue Justitià tua qui mysteria tractant :
P. In te fac populum semper gaudere redemptum.
S. Esto salus plebis quæ in te spem collocat omnem :
P. Accumuláque bonis sortem tibi jure dicatam.
S. Da nobis pacem, & tranquillam ducere vitam :
P. Te quoniam semper sumus usi vindice solo.
S. Da puras mentes, Deus, Ò da pectora sancta :
P. Nec tuus à nobis discedat Spiritus almus.

DOXOLOGIA.

Æterno Patri, æterni Natóque Parentis,
Spirituíque simul tribuatur gloria sancto :
Scilicet ut quondam mundo nascente dabatur,
Nunc datur, & dabitur per secula cuncta futura.
AMEN.

Ad JESUM CHRISTUM Dominum & Salvatorem nostrum.

A Teneris annis te toto pectore amavi,
JESU, dumque mihi vita supersit amem :
Tu puero mihi carmen eras, & jam numeranti
Sexaginta annos tu mihi carmen eris.
Hæc sit, magne Deus, studiorum meta meorum,
Et prodesse aliis, & placuisse Tibi!
Me dolor, & tacito veniens pede curva senecta
Jam sperare jubent, non procul esse diem,
Qui mihi deposito mortali corpore tandem
Donet in amplexus currere, Christe, tuos.

INDEX.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

L.

M.

Men-

N.

O.

P.

R.

S.

T.

V.

ERRATA.

Pag.	*Lin.*	Pro	*Leg.*
35.	11.	*toto*	solo.
37.	4.	[.]	*pone* [:]
43.	7.	*tempori*	tempora.
Ibid.	8.	*nostræ*	nostra.
Ibid.		*natutam*	naturam.
44.	22.	*qui*	quia.
Ibid.	15.	[.]	*pone* [;]
56.	19.	*oblatum*	oblatam.
75.	3.	*æterna*	æternæ.
Ibid.	24.	*qui*	qua.
81.	20.	*quid*	quod.
110.	21.	*queis*	quos.
124.	10.	*æquus*	æquas.
140.	2.	*Est*	Et
158.	7.	*eloquio*	eloquii.

